









v

Defektes Exemplar; es fehlt P. IV.



ax



821. d. an

BIBLIOTHECÆ ARABICÆ

P. VI.

DEO JUVANTE
P R Æ S I D E
CHRISTIANO FRIDERICO
SCHNURRER

LITT. GR. ET ORIENTAL. PROF. P. O.
ET ELECTORALIS STIPENDII THEOLOGICI EPHORO
I N S T I T U T I
TERTIAE CLASSI ADSRIPTO
PRO OBTINENDIS MAGISTERII PHILOSOPHICI HONORIBUS
DIEBUS SEPTEMBRIS MDCCCV



PUBLICICE DEFENDENT

- LUDOVICUS FRIDERICUS ROMIG *Ludovicopolitanus*
- THEOPHILUS FRIDERICUS EYTH *Tubingensis*
- CHRIST. THEODOXUS FRID. GEIGER *Hengensis*
- CHRISTOPHORUS FRID. LOEFFLER *Stuttgardianus*
- IMMAN. CHRISTIAN. HENR. SIGEL *Thalhemensis*
- GE. CHRISTOPH. THEOPH. LAICHINGER *Suppingensis*
- ALBERTUS CHRISTIANUS BARDILI *Dapfensis*
- JOANN. CHRISTIANUS FRID. HAHN *Kaemmattensis*

SERENISSIMI ELECTORIS STIPENDIARIUM
ET MAGISTERII PHILOSOPHICI CANDIDATI.

TUBINGÆ LITTERIS HOPFFERIANIS.

I. D. I.
4.14





Biblici libri nunc ordine enumerandi. Sunt forte, quibus peractum ab aliis nos agere possimus videri, quum nostra demum ætate in eodem argumento elaboravit ANDREAS GOTTLIEB MASCH, Bibliotheca sacra post Jacobi Lelong & C. F. Boernerii iteratas curas ordine disposita, emendata, suppleta, continuata. Partis secundæ de versionibus librorum sacrorum Vol. I. de versionibus Orientalibus. Halæ, MDCCLXXXI. 4. pag. 103 — 139. Et certe insignis est, quam ven. Maschium adhibuisse videmus, diligentia & circumspectio. Neque vero vehementer reformidamus eorum, qui cum Maschiano catalogo nostrum contenderint, iudicium. Tantum enim abest, ut denuo afferendis quæ dudum cognita essent et vulgata rem putaremus conficere nos posse, ut potius constitutum esset, abstinere, quantum fieri posset, a repetendis illis, quæ essent a ven. Maschio recte & probabiliter tradita. Sed aliorum, haud nostra, sententia constabit, operæne pretium sit, librorum Biblicorum, arabice editorum, indicem iterum adornasse.

1. Epistola Pauli ad Galatas, item sex primaria capita christianæ religionis arabice, quibus ad finem adjunctum est compendium grammaticæ arabicæ, auctore *Ruthgero Spey* Bopardiano, ecclesiæ Schonaviensis, quæ supra Heydelbergam ex Gallis colligitur, pastore — Heidelbergæ excudebat Jacob Mylius. 1583. 4.

De hoc libro quamquam copiose retulit Hirt, (*oriental. und exeget. Bibliothek*, 1 T. pag. 1 — 23.) neglexit tamen tradere, arabica omnia non fuis typis, sed formulis ex ligno sculptis ligneisque tabulis esse expressa. Quod vero ipse tradit pag. 20. "extremo libri folio conspici aliud alphabetum arabicum, proxime accedens ad Mauritanicum & a nostro diversum, at ob usum in legendis manuscriptis probe observandum," vanum est ac inane: siquidem vel casu accidit vel incogitantia, ut arabici typi, ligneæ tabulæ incisi, inverso habitu exprimerentur, latinis hebraicisque, qui illis respondeant, ordinem servantibus; librum igitur si invertas, ut supera habeas quæ infera sunt, easdem plane figuras arabicas conspicias, quales exhibet alphabetum positum in limine grammaticæ, his tamen nonnihil minores: at Mauritanici litterarum generis nullum hic vestigium.

Præfationem scriptam Schonaviæ prope Heidelbergam anno 1583. mense Julio excipiunt epistolæ duæ hebraicæ ad editorem, minus pure & emendate typis descriptæ. Altera, arabici nonnihil interspersum habens, Jacobi Christmanni est, scribentis ביום קו (littera ק 100 posita pro כ 20) die 26 mensis Decembris: Duo mihi sunt pergrata, primum quod versionem ex arabico in latinum abs te factam esse cognovi, deinde quod constitueris opus excudi & publici juris fieri. In eo sum ut

in patriam proficiscar, sed ubi brevi rediero ad te veniam, & ex tuis manibus istam versionem accipiam. Deinceps hoc conjunctim agemus, ut ex arabicis libris, qui nobis præsto sunt conficiamus seriem radicum. (h. e. vocabularium.) Equidem omnem dabo operam ad perficiendam grammaticam arabicam typis arabicis, nec seponam quæ adhuc concinnavi: quum in lucem prodierit opus meum, tui nominis honorificam mentionem faciam in præfatione. — Quæ quidem dicta putaverim non de Alphabeto arabico, edito ann. 1582. sed de ampliore pertractatione, cujus certam spem fecisse eum intelligas ex dictis illius, relatis in Hirt's Biblioth. III. T. pag. 9. Altera Christophori Hammeri est, rogantis velit sibi suæ grammaticæ arabicæ copiam facere. Scripta est in urbe ייכא, non Viennæ, ut ven. Adlero visum est, Biblioth. Bibl. pag. 136. sed Jenæ, die XI mensis Ab, anno Chr. 1582. De Hammero nonnulla refert Epistola ad Martin. Crusium Tubingensem missa a Jo. Thilio Nordhusano 4 Jan. 1583. inter alia scribente etiam hæc: brevi grammaticam arabicam edet cum epistola ad Galatas arabice versa, cujus primam paginam habeo, Ruthgerus Spey Bopardianus. — Edita est hæc epistola in Nachrichten von ehmaligen Lehrern der hebr. Litteratur in Tübingen 1792. pag. 231. Eodem loco, pag. 241 sq. etiam Mich. Neandri ad Hammerum epistola descripta est, quod putaretur inedita esse. At novimus nunc, eandem dudum editam exstare in libro: Mich. Neandri orbis terræ divisio compendiaria. Witebergæ. 1594. 8. pag. 39 — 56.

De rebus Ruthgeri Spey nihil constat. In hebraicis chaldaicisque præceptorem se habuisse Immanuelem Tremellium, ipse profitetur in præfatione: in arabicis discendis ipsum non minus ac Jacob. Christmannum usum esse Francisco Junio, perquam credibile.



o Psalterium Syriacum, cum commentario carschiunico-arabico. Typis Monasterii St. Antonii de Kuzaiā Montis Libani. 1585. fol.

Maschii hæc verba sunt, (Part. II. vol. 1. pag. 67.) teste usu Assemanio. Et sane Assemanius (Catalog. biblioth. Medic. Laurent. pag. 71. non pag. 51.) referens MS. Psalterium Davidis arabicum, e Syriaco conversum cura et studio Georgii Archiepiscopi Nicosiæ, Syro Maronitæ, perhibet: "Carsciunica hæc Psalmorum interpretatio prodiit in folio cum textu syriaco typis Monasterii Sancti Antonii Abbatis de Kuzaiā, Montis Libani, anno Christi MDLXXXV. sub auspiciis Sergii Risii, Maronitarum Patriarchæ quadragesimi quarti, & Josephi Katheri, de familia Assemanorum, Montis Libani Administratoris." — At sunt, quæ dictis fidem habere nos prohibent.

a. Credibile haud est, jam anno 1585 in Libano monte locum habuisse typographiam. Ne Romæ quidem novimus librum syriacis typis excusum fuisse anteriorem illo, qui prodiit anno 1584. vid. Biblioth. Arab. P. V. Num. 4. pag. 9.

b. Hieronymus Dandini e Societate Jesu, anno 1596 ablegatus a Clemente VIII ad Maronitas, eorumque synodum habitam a Sergio Risio, Patriarcha, qui Maronitis præfuit ab anno 1581 usque ad obitum 1596. moderatus, tantum abest ut psalterii alicujus editi apud Maronitas usum innuat, ut potius, expressis verbis, neget gaudere illos usu commodisque typographiæ. Vid. Voyage du Mont Liban, traduit de l'Italien du R. P. Jerome Dandini, Nonce en ce pais-la. 1685. pag. 86. "Ils les Maronites) n'ont point l'utilité, n'y la commodité de l'imprimerie, non plus que dans tout le reste du Levant." — Qui librum gallice convertit suisque animadversionibus locupletavit, Richard. Simon, et ipse putandus est illam Psalmorum editionem penitus ignorasse.

c. Ignoravit certe hanc editionem Abrahamus Echellensis,

Maronita. Edidit librum, inscriptum: Tractatus continens catalogum librorum Chaldæorum, tam ecclesiasticorum quam profanorum, auctore Hebed Jesu Metropolita Sobensi, Latinitate donatus, et notis illustratus ab Abrahamo Echellensi, Syriacæ linguæ in alimo Urbis Gymnasio publico lectore. Romæ, typis S. C. de propaganda fide. 1653. 8. de quo copiose refert Rich. Simon, Nouvelle Bibliothèque choisie, T. II. cap. 18. pag. 275 — 305. Bootio, Anglo, asserenti, "unicum hominem, Gabrielem Sionitam, proprio Marte & consilio apparatus vocalium (syriacarum) primum invexisse (in edita ab eo versione syriaca in Bibliis polyglottis Paris.) ac ante illum omnibus omnino Syris insuetum fuisse, nec in ullo unquam codice conspectum," ut responderet, præter alia hæc opposuit pag. 117. "An etiam Psalmorum liber typis excusus in monte Libani ab illustrissimo viro illo Sergio Risio Archiepiscopo Damasceno, multis ante Sionitæ editionem annis, immo ante natum Sionitam, suis careat vocalibus?" — Sergii Risii, *Archiepiscopi Damasceni*, nomine dicto non potest non innuere eam, quæ prodiit anno 1610. editionem. Sed quod hanc factam asserit "ante natum Sionitam," præcipitantius dictum. Obiisse Sionitam anno 1648 annos 71 natum, perhibet auctor libri, *Mémoire historique & littéraire sur le Collège Royal de France*, Part. III. pag. 100. natus igitur erat anno fere 1577. quo anno jam exstitisse editionem aliquam in Libano monte factam sane non erit qui sibi patiat per-suaderi.

Assemanio autem ista tradenti hoc videtur accidisse, ut, quod ad Sergium Risium, *Archiepiscopum Damascenum*, pertineret, cupide referret ad Sergium Risium, *Patriarcham*, annumque 1585 comminisceretur ipse ex ingenio.

2. Evangelia quatuor. Romæ. 1591. folio.
Duplex editio exstat, I. mere arabica, II. arabica & latina.

I. Editio mere arabica in exemplo, quod ipsi oculis usurpavimus, exhibet inscriptionem, primo arabicam, deinde latinam, hanc: *Evangelium Sanctum Domini nostri Jesu Christi conscriptum a quatuor Evangelistis sanctis id est, Matthæo, Marco, Luca, & Johanne.* Romæ, In Typographia Medicea. M. D. XC. Præfatio nulla; primi ipsius, quod inscriptionem refert, folii paginâ altera mox incipit Matthæi evangelium; desinit textus Johannis pag. 368 media, subjunctis his verbis:

مطبوعة بمدينة روما بطبعان غران دوقا
في سنة ألف وخمسةماية وأحدوي وتسعون مسيحية
1591.

[h. e. excusum in urbe Roma in typographia Gran Duca (Magni Ducis, Ferdinandi I.) anno millesimo & quingentesimo et nonagesimo primo Christi.]

Romæ. in typographia Medicea. Anno 1591.

II. Editionis arabicæ unacum latina versione lineis arabicis interposita non una eademque est in exemplis omnibus facies, licet unius editionis omnia esse dubium haud sit. Etenim excudendi libri initium cum fieret, primam paginam, qua Matthæi evangelium incipit, placuit signare numero 9, proximam numero 10, & sic deinceps. Cujus rei causa erat hæc, quod constitutum esset, absoluto operi præter solennem titulum præfigere quoque epistolam, qua Principi cuiquam seu Regi munifico illud nuncuparetur, et negotium omne commendaretur ab editore, Jo. Bapt. Raymundo. Testis est Bandini in Lettera sopra i principj, e progressi della Biblioteca Laurenziana — Firenze. 1773. 12. pag. 84. “Questi Evangelitari non hanno la Dedicà, perchè si aspettava di farla sotto il nome di un Principe grande e magnanimo.” Et hæc, quæ accedere debebant, visa sunt absolvi posse foliis 4 seu paginis 8. At mutata rerum conditione successu caruit illud consilium, nec quid-

quidquam vel epistolæ vel justi tituli accessit. Neque vero exemplorum copia omnis ita pressa & luci subtracta est, ut nulla evolare atque in aliorum potestatem pervenire possent. Igitur

1.) deprehenduntur exempla, vel titulo prorsus destituta, vel externo folio munita, quod exhibet tituli loco hæc verba: "Sanctum Dei Evangelium Arab. Lat." Postremi quaternionis pagina penultima exstat admonitio Typographi nomine scripta hæc: "Typographus lectori. Rem arduam & admodum difficilem in hac Thyppographia (*sic*) aggressi sumus, Benigne Lector, quippe quæ inusitata & nova est, & adhuc nostris majorumque nostrorum temporibus non uisa, impressionem nimirum librorum Arabum, Syrorum, Persarum, Aegyptiorumque, & plurium qui apud plerasque alias nationes reperiuntur. Quid igitur mirum si qua, pauca tamen, in textu Arabico quatuor Evangelistarum prætermissa sunt errata? cum in Latinis Græcisque, & Hebræis excudendis libris, quæ ars omnibus jam familiarissima facta est, passim magnus, & interdum quidem maximus errorum numerus obrepere deprehendatur? Veruntamen habes ea ibi, postquam animadversa sunt, calamo, uti oportebat, emendata, hîc autem, ubi latina adjecta est interpretatio, præter unum correctæ sunt omnia, illudque (*sic*) est ١٠٣ quod pag: 103. linea ultima inventum sic corriges, ١١٤ . In Latina quoque translatione pag: 230. lin. 3. aliud erratum comperies, ubi namque scriptum est. *Et convertet corda patrum in filios, Et non obediunt ad scientias iustorum &c.* legendum est, *Et convertet corda patrum in filios, Et eos qui non obediunt, ad scientias iustorum.* Quodsi benignus lector nonnulla fortasse alia inter legendum errata deprehenderit, quæ diligentiam nostram fefellerint, eum etiam atque etiam oratum uolumus, ut qua poterit sollertia emendet. His itaque interea lætus frui dum alia complura in liberalium ar-

B



tium studiis commissa nobis ab eo, cui hoc onus incumbit, in lucem propediem emittamus. Vale. Romæ In Typographia Medicea. M. D. XCI.”

Ad hæc duo sunt notanda. 1. Erratum illud, *علمنا* pro *علمنا*, non est omnium exemplorum; inter quatuor, quæ ipsi vidimus, duo sunt quæ distincte exhibent vocem *علمنا*, non calamo sed typis expressam. 2. Quod de arabicis calamo emendatis perhibetur, alii judicent. Exemplum mere arabicum, nobis visum, & ipsum habet erratum illud *علمنا*, pag. 79. lin. 3. nec vel in hac voce, vel in aliis, quæ haud desunt, erratis, calami aliquod vestigium deprehenditur.

2.) sunt, quæ hunc titulum exhibent :

أربعة اناجيل يسوع المسيح (sic) سيدنا المقدسة

Sacrosancta quatuor Iesv Christi D. N. Evangelia Arabicè scripta, Latinè reddita, Figurisque ornata. Romæ, Ex Typographia Medicea. MDCXX. Superiorum permissv.

Secundum folium habet dedicationem hanc: “Illustrissimo, & rever. principi Carolo Madrutio S. R. E. Cardinali amplissimo. Io Antonius Rodolus F. Cum Evangelia Arabico sermone conscripta denuo excudi curarem, ut quæ obrepserant ex Typis errata corrigerem, reliquum erat unum, ut ea Principi alicui viro de more inscriberem. Nec sane in ancipiti diu versari potui qui omnia Tibi velut subditum Domino, communi gentium jure debere me & faterer & vellem. Accedebat, quod Princeps sanctissimæ Religionis opusculum non nisi religiosissimum & maximo in terris proximum, hoc est Cardinalis nomen, necesse erat præ se ferre in fronte. Præsefert adeo, tuæq; clientelæ commissum exit in vulgus; & me Tibi plurimis obstrictum nominibus hoc etiam deinceps, si meæ in te observantiæ pignus exiguum non aspernaberis. Vale.” Tertium folium exhibet effigiem Madrutii; quartum refert Admonitionem illam Typographi, modo recitatam a nobis

pag. 9. omissis tantum verbis: Romæ In Typographia Medicea. M. D. XCI. nec vero eadem abest in postremi quaternionis pagina penultima, qualis est primo typis descripta.

Quod vero iste Jo. Ant. Rodolus venditat, Evangelia hæc arabica denuo excudi se curasse, ut quæ obrepserint ex Typis errata corrigeret, (ipse in fronte عيسى المسيح ponens, pro عيسى) vanissimum est commentum. Præterea audacter factum et inepte, quod Admonitionem illam Typographi curaret reponi ante textum, ne sublato quidem postremo folio in exemplis omnibus; Gœttingensis bibliothecæ publicæ exemplum non referre illud, testis est Michaelis, Einleitung in die Schriften des N. Bundes; Ed. 4. pag. 446. Exhibet quidem exemplum a nobis cognitum pag. 103. lin. ult. عيسى, non عيسى, sed in eodem tamen deprehenditur pag. 230. lin. 3 erratum illud: et conuertet corda patrum in filios, et non obediunt ad scientiam justorum —

3.) Alia primo folio referunt hanc brevem inscriptionem: Sanctum Dei Evangelium Arab. Lat. Secundum folium inscriptum est primo arabice sed litteris haud scite compositis, deinde latine, sic: Evangelium Sanctum Domini Nostri Jesu Christi conscriptum a quatuor Evangelistis sanctis id est Matthæo, Marco, Luca, et Johanne (absque anni mentione.) Folio 3 & 4 Præfatio exhibetur, quam dedit "Florentiæ ex Typographeo Linguarum exhoticarum V. Kalend. Julii 1774. "Cæsar Malanimæus." Præfationis initium hoc est: "Inter Libros, qui duobus fere abhinc sæculis Romæ prodierunt ex amplissimo ac magnificentissimo Linguarum exhoticarum Typographeo, quod hortante Gregorio XIII P. M ære proprio extruxit Ferdinandus Medices tum S. R. E. Cardinalis, Hic, qui penè ex oblivione erutus nunc iterum Tibi, philarabice Lector, exhibetur, nihil initio tulit præfixum in fronte, nec quidquam ad Eum præfatus est Jo. Baptista Raymundus,

eidem Typographeo Præpositus, et earundem Linguarum Interpretes clarissimus. Cuius omissionis ea tum ratio fuit, quia, ut ex monumentis constat, in animo haberent (*sic*) alicui majorum Gentium Principi dicarè, eo consilio, ut pro Ecclesiæ bono Linguarum studium in Orbe Christiano promoveretur." — De Roddoli illa præfatione mireris mentionem prorsus nullam injici. — Post hæc refert præfationis auctor, vulgari nomine: Abbas Malanima, typographiam orientalem Medicæam, a Ferdinando Cardinale conditam, sed ipso post mortem fratris, Francisci, 1587 factæ Hetruriæ Magno Duce, remissius habitam, anno 1596 in alienam potestatem transiisse, at tamen a conditoris filio, Cosmo II. anno 1610 recuperatam, posthac Florentiam translata et in regio gazophylacio palatii veteris collocatam, in hoc loco confusam delituisse, donec Cosmus III. arcesseret e monte Libano Petrum Benedictum Maronitam, ut rem redigeret in ordinem; denique Petrum Leopoldum, Magnum Ducem, voluisse se, Malanimum, quæ Benedictus reliqua fecisset, perficere, ut exterorum precibus pro uno alteroque librorum impressorum exemplo impetrando posset satisfieri. Sese igitur cognito, quo Evangeliorum liber laboraret, defectu, jussum à Domino hanc præfationem adjunxisse. Conf. quæ retulit Björnstahl, Briefe, II. T. pag. 157. et ven. Adler, Uebersicht der Reise nach Rom. pag. 55. sq. & pag. 72. sq.

In hac exemplorum varietate editionem non nisi unam esse eandemque, cum ex his, quæ jam dicta sunt, intelligitur, tum confirmatur ipso adspectu cerniturque oculis. Exempla conspirant non universe tantum per singulas paginas lineasque, sed in rebus etiam minimis iisque singularibus constanter conveniunt; veluti Erratum illud in latina versione, pag. 230. lin. 3. "et non obediunt" pro: et eos qui non obediunt, in omnibus idem conspicitur. In omnibus exstat pag. 318. lin. penult. "si ergo fuistis fideles in bonis iniquitatis," quod de-

bebat esse infideles. Pag. 278. lin. 11. in voce **وكان** punctum litteræ Nun deest in omnibus, etiam in mere arabico. Cavendis tollendisque vitiis typographicis permagnam, nec eam irritam curam fuisse adhibitam, certum: nec tamen desunt errata; nobis Evangelii Lucæ partem perlustrantibus præter leviora, veluti quum Teschdid loco suo non positum, vel littera 3 punctis duobus superne destituta, obtulere se hæc:

pag. 243. lin. 6. (Luc. 2, ult.) **ينشاء**, crescebat, pro **يشاء**

pag. 258. lin. 3 (cap. 5, 33.) **فقالوا**, dixerunt autem, pro **فقالوا**

pag. 294. lin. 9. (cap. 10, 40.) **فقال لها**, dic igitur illi, pro **فقال لها**

pag. 310. lin. 10. (cap. 13, 33.) **وعدا**, et cras, pro **وعدا**

pag. 314. lin. 1. (cap. 14, 28.) **يكلمه**, perficiat illam, pro **يكلمه**

pag. 322. l. ult. (c. 17, 21.) **ولا تقولون**, neque dicetis, pro **ولا تقولون**

pag. 328. lin. 7. (cap. 18, 32.) **يسلم**, tradetur, pro **يسلم**

Omnia hæc in omnibus exemplis, etiam in mere arabico, eadem, excepto uno loco, cap. 13, 33. quo mere arabicum, pag. 246. lin. 15. refert. **وعدا وفي اليوم الأني اذهب**, arabico-latina autem habent, **وعدا وفي اليوم الثالث اذهب**

Editionis arabico-latinæ exempla facta sunt 3000. teste Assemanio, Biblioth. Medic. pag. 55. et mere arabicæ 4000. teste Bandinio, Lettera, pag. 84. Idem refert Adler, Reise, pag. 73. Et dudum invaluit opinio, in Europa prorsus infrequentes esse hos libros, quod fuerint tantum non omnes delati in terras Orientis. Tradit Bandini, Lettera, dicto loco, hæc: "Cum auditum esset, multos Infideles sola Evangeliorum lectione conversos esse, voluit hac caussa aliisque motus Gregorius XIII. P. M. typis describi quatuor millia exemplorum, de quibus mille partim inter Christianos dispensata, partim ad Infideles delata, ut vel vendita, vel gratis concessa facerent ad promovendam religionem christianam." — De eventu nobis

haud quidquam constat; imagines ligno incisæ, in utroque libro eædem, et affabre factæ, certe apud Mohammedanos commendationem habere nequaquam poterant. Illud constare poterat, ex quo prodiit Bandinii Lettera, 1773. exempla etiamnum haud pauca superesse Florentiæ; et Adlerus singulorum, quo redimi possint, pretium, æquum illud ac modicum, significavit loc. cit pag. 73.

Textus arabicus unde sumtus sit, ignoratur. Servat quidem Bibliotheca Medicea volumen, quod et IV Evangelia complectitur et alios N. T. libros, Syriacum et Arabicum, quod qui scripsit, pro Jo. Raimundo scripsisse se profitetur: sed idem absolutum fuisse dicitur demum anno Christi MDCXI. (vid. Assemani Catalog, pag. 50.) Latinam autem versionem, ad verbum quantum fieri poterat factam, ipsius Raimondi esse dubio caret. Supersunt in eadem bibliotheca, teste Assemano pag. 55. "Acta Apostolorum, arabice e Græco expressa, cum interpretatione latina Jo. Baptistæ Raimondi" adornata eo consilio, ut et ipsa typis Mediceis exprimerentur.

3. Psalmi syriace et arabice. In Monte Libano editi, 1610. fol.

Notitiam libri dedit, post Lelongium, Døderlein, Reperator. Eichhorn. Tom II. pag. 158. sq. exemplo Solgeri, nunc Norimbergensis publicæ bibliothecæ usus, quem secuti sunt alii, Masch, pag. 121. Eichhorn, Einleitung, II. Ausg. p. 525. III. Ausg. 610. Rosenmüller, Handbuch, III. T. pag. 22. Nobis uti licuit exemplo, quod ex privata sua bibliotheca nobiscum communicavit amicissimus Bruns.

Volumen est pagg. 260. fol. min. Psalmis accedunt pag. 252. psalmus 151. Hymnus Mosis Exod. 15. 1—20. Hymnus Isaiaë, cap. 42, 10—13. (non ut Døderlein perhibet cap. 44, 23. sq.) et cap. 45, 8. Hymnus Mariæ Luc. 1, 46. sq. Hymnus puerorum domus Chananja, et Precatio Ephremi Syri: et bina

postrema quidem Syriace tantum, cætera omnia adjectam habent arabicam versionem, litteris syriacis iisque minoribus expressam.

Formulam, in ipsius frontis infima ora positam, repetitamque ultimæ pag. extremo loco, exhibuit Dœderlein, repetiitque Rosenmüller, loc. cit. Puram eam integramque nos hic ponimus:

بالتصميم المكرم الكاين في وادي قوزحيا في جبل لبنان
المبارك علي يد المعلم بسكالي الي وعلي يد التحقير يوسف
ابن عمينة الكرستاني باسم شمس في تاريخ سنة ا سي ربا
hoc est: in Claustro honorato, quod est in valle Kuzaia in monte Libano benedicto, perfecit magister Paschalis Eli et humilis Joseph filius Amimali ex Caram-Sadde, nomine (tantum, non meritis) diaconus, anno 1610. Domini (Jesu Christi.)

ربا brevius expressum pro *ربان*. Nomen *حبس* plerumque carceris significationem habet, incidimus tamen in locum Catalog. Biblioth. Vaticanæ, T. II. pag. 173. fere media, quo commemoratur *شمس ال* *بالاسم حبس* *مار ديمات* Monachus, Gabriel nomine, inclusus in Claustro Sancti Domitii — *الرخاين*, quod Dœderlein refert, debet esse *الكاين*, nec non pro *تاريك* *تاريخ*. Monasterii nomen *Assemáni*, Catalog. Biblioth. Medic. pag. 18. dicit Cuzaia, his verbis: "Monasterium Sancti Antonii Abbatis de Cuzaia." Dandini, Voyage du Mont Liban, 1685. pag. 145. 149. 158. dicit Chsaya; Niebuhr, Reisebeschreibung, II. T. pag. 471. Kasheia; Volney, Reise nach Syrien, II. T. pag. 24. Kozhaje. Oppidum Josephi natale, quod Dœderleinio est Crimisade, ab Assemánio, loc. cit. pag. 30. dicitur Caramsadde, arab. *كرم سدي*.

Præfationem, ad Fratres fideles Catholicos, scripsit Ser-

gius Risius, Archiepiscopus Damasci Maronita, arabice الرزي, syriace ܠܘܝܫ, Catalog. Biblioth. Vatican. T. II. pag. 14. Sed in ea nihil proditum, quod ad editionis hujus historiam spectet. Commendata sacrorum librorum ad salutem animæ utilitate his finem facit: Prout largitus nobis est Dominus nobisque opitulatus, initium capessivimus et excudi curavimus hunc librum, factumque est ab eo initium, et prout fuit quoque consilium et voluntas Domini honorati et fratris nostri eximii, Archiepiscopi Georgii Amira, qui in eo nobiscum operam collocavit — Et exstat fol. penult. loco infimo Formula adprobantis editionem his verbis: Ego humilis inter Archiepiscopos, Archiepiscopus Georgius filius Amira (عبدالله) Hedenita (الهداني) vidi perlegique Psalmos hosce, nec quidquamprehendi in illis, quod sit contrarium fidei orthodoxæ, juvant vero salutem animæ illius qui eorum lectione utatur. — Georgius hic Amira, qui Grammaticam Syriacam edidit Romæ in typographia linguarum externarum apud Jac. Lunam 1596. 4. deinceps ipse Maronitarum patriarcha factus, obiit 29. Jul. 1644. teste Assemanio, Catalog. Biblioth. Medic. pag. 84. Sergius Risi, cujus permagna pars erat etiam in vedenda Bibliorum versione arabica Romana, mortuus est Romæ 29. Aug. 1638. ut refert Dæderlein loc. cit. pag. 101.

Conclusio operis postremo folio nomine Josephi Amimæ scripta, refert expressis verbis absolutum illud fuisse anno Chr. 1610. die 10. mensis Thischrîn posterioris, h. e. Novembris, dicit magistrum Paschalem Eli oriundum ex urbe Camerino, (Italus igitur erat, forte typographicæ artis magister,) duosque alios commemorat operis typographici adjuutores; cæterum summam rei refert ad Sergium Risi Archiepiscopum, et magnopere prædicat ejusdem patruos, Michaellem et Sergium, utrumque Patriarcham, maxime germanum Josephum, et ipsum Patriarcham, de quibus videatur Assemani, Biblioth. Medic.

Medic. pag. 17. Neque hic quidquam proditum de origine et historia typographiæ Libanicæ; typi litterarum passim minus nitidi et luculenti, ut hebetes potius usuque detriti videri possint.

4. *Petri Kirsten*I Vratislaviensis philosophiæ et medicinæ doctoris. Epistola S. Judæ Apostoli ex Msso Heidelbergensi arabico ad verbum translata, additis notis ex textuum græcorum et versionis latinæ vulgaris collatione. Breslæ 1611. fol. pagg. 17.

De Kirstenio vid. Biblioth. Arab. P. III. pag. 23. Comper-
tum nobis nunc est, cum ipso arabicos quoque ipsius typos
migrasse in Sueciam. Librum perrarum, inscriptum: Catalo-
gus Centuriæ librorum Manuscript. et partim Impressorum,
Arabicorum, Pers. Turc. Græc. Lat. &c. qua anno 1705. bi-
bliothecam publicam academici Upsaliensis auxit et exornavit
— J. Gabr. Sparvenfeldius. Upsaliæ, typis Wernerii. 1706. 4.
cum videre nobis contingeret; in arabicis, quæ sunt in illo
passim excusa, protinus agnovimus characteres Kirstenianos,
et quidem illos, quos exhibet Schema characterum arabico-
rum, editum 1609. junctumque libro, *Kirsten*I Decas sacra
Canticorum. —

5. D. Pauli Apostoli Epistola ad Titum, arabice; cum
Joannis Antonidæ Alcmariani interlineari versione Latinâ ad
verbum. In officina Plantiniana Raphelengii, (Leidæ, non
Antwerpiæ) 1612. 4. pagg. 18. quibus accessit una, Orationem
Dominicam exhibens.

“Pauca sunt, inquit Maschius, quæ de editore Jo. Anto-
nide habet *Lexicon Eruditorum*” (Joecher’s *Allgem. Gelehr-
ten Lexicon*.) Perpauca quoque sunt, quæ habet Adelung in
Fortsetzung und Ergænzungen zu Joechers Allg. Gel. Lexicon.
Haud igitur pigebit cognoscere, quæ Isaaco Casaubono Tho-

mas Erpenius scripsit Middelburg. a. d. III. Jd. Jul. 1612. "Hebraicam linguam (Leidæ) jam diu profitetur Dominus Coddeus. Arabicam profiteri nuper coepit Joannes quidam Antonides, Anabaptista Hollandus, qui olim serviens Raphelengio, ab eo didicit literas Arabicas novisse; nuper vero cum Arabe quodam Amstelrodami agente per semestre istegrum conversans, aliquid in ea lingua intelligere; valde, ut audio, adjutus Grammaticâ quadam Arabicâ Raphelengii. Quid possit, non queam dicere; non enim conveni hominem, nec facile conveniam, ne videar ejus luci velle tenebras offundere, eumque de loco suo deturbare; tametsi in Professorum numerum nondum est adscitus: concessum enim ei solum est publicis prælectionibus per annum continuatis eruditionis suæ et capacitatis specimen aliquod edere: admittendus postea est aut remittendus, prout aptus aut ineptus ad eam professionem esse judicabitur. Legit autem in loco quodam extra Academiam, quia Latinè loqui congruè nescit, et donec de professione sua certus sit, relinquit uxorem suam cum familia Amstelrodami, ubi vendit vinum adustum (eau de vie.) Absque hoc homine res meæ bono satis fuissent loco, & occasio mihi oblata studia mea Orientalia continuandi, quod nunc vix puto futurum: nam ut ego mendicem, eumque coner expellere, à me non impetro, etsi non dubito (liberè loquor) quin majori cum publici commodo & Academiæ gloria ipse ei muneri præesse possim." Isaaci Casauboni Epistolæ — curante Theod. Janson. ab Almeloveen. Roterod. 1709. fol. pag. 666.

6. D. Johannis Apostoli & Evangelistæ epistolæ catholicæ omnes, Arabicæ ante aliquot sæcula factæ, ex antiquissimo Ms. exemplari descriptæ, & nunc demum Latinæ redditæ, opera & studio *Wilhelmi Bedwelli* Haslingburgensis A. (i. e. Anglo) Saxonis. Ex officina Plantiniana Raphelengii. (Leidæ) 1612. 4. pagg. 52.



Arabica carent vocalibus signisque aliis. Ad calcem capituli V epistolæ primæ, pag. 40. hæc: "Septimus versus consideratur apud Syros, des deratur etiam apud Arabes: Arabs enim transtulit Syriacum Testamentum, non Græcum, ut ex multis locis conferenti apparebit. Unde quæ optime a Syro redduntur, ea ab Arabe quoque ad verbum reddita sunt: ubi hallucinatus est Syrus, ibi et Arabs a scopo aberravit longius."

Præfationis verba sunt, pag. 6. "Denique linguæ arabicæ cognitio multum facit ad linguæ hebraicæ intelligentiam. In vocibus enim obscuris et dubiæ significationis lucem tibi maximam, & facem sole meridiano magis illustrem quandoque præfert Arabs. Rabbinos, paraphrastas, scholiastas testor, qui hinc sæpe auxiliare præsidium petebant maximum. Dictionarium linguæ arabicæ Francisci Raphelengii propediem in lucem emittent ipsius heredes. Grammaticam olim dedit Postellus, & dabit brevi Thomas Erpenius. — Plagiarium quendam nostrum comprehendit J. A. (h. e. Joannes Antonides) & publici juris fecit. Conservum ejus nos ipsi manumissimus, reliquos, ut publico prodesse possint, breui, favente Numine, libertate donabimus."

Bedwellus mense August. 1612 ex Anglia Lugdunum profectus auspiciis & sumtu viri maximi, Episcopi Eliensis, Lancelot Andrews (vid. *Bibl Arab.* I. pag. 5. & Adelung. voce Andreas (Lancelot) pag. 827.) & a Casaubono commendatus Heinsio, Grotio, Erpenio (vid. *Ej. Epistolæ* pag. 478 sq.) quod, quum multos annos in colenda arabica lingua consumsisset, optaret priusquam sua ederet inspicere Jos. Scaligeri *Lexicon arab. ineditum*. Dicitur Casaubono vir probus, simplex & pius, pag. 478. & alio loco, pag. 485. homo simplicissimus omnium, alienus ab invidia, ab opinione sui, & a studio obtrectandi. — Lugduni dum versaretur, edidit hoc specimen, quod in patria illo tempore, & multo etiam posthac, arabici typi prorsus desiderarentur.



7. Passio Domini nostri Jesu Christi, secundum Matthæum, arabicè, cum Latinâ versione ad verbum, juxta editionem Romanam; vocalibus omnibus accuratè additis. Leidæ, in officina Raphelengiana, 1613. 4. pagg. 45.

Quis sit, hanc editionem qui curaverit, haud constat. Raphelengius ipse cum ann. 1597. obierit; non erat, cur Maschius diceret: "Usus quidem est Raphelengius codice msto — verum in edenda Passionis historia editionem Romanam sequi maluit."

8. Liber Psalmorum Davidis regis & prophetæ. Ex Arabico idiomate in Latinum translatus. A Victorio Scialac & Gabriele Sionita Edeniensi Maronitis. — Romæ ex typographia Savariana. 1614. 4. pagg. 474.

Vid. Masch, pag. 122. & Handbuch — von Rosenmüller III T. pag. 49. sq. Ex Syriaca simplici versione factam esse hanc Arabicam tradit Assemâni, Catalog. Biblioth. Medic. pag. 56. commemorans codicem Psalmorum ipsius Gabrielis Sionitæ manu descriptum arabicum cum latina interpretatione inter lineas, ex quo factam dicit editionem arabico-latinam Romæ 1614.

Sunt exempla, quæ in fronte referant: Romæ, Ex Typographia Savariana. M. DC. XIX. At certissime eadem est editio, nam utrinque eadem sunt menda typographica; & nostro quidem exemplo anni 1619 eadem quoque duo folia, mendorum primo arabicorum, deinde latinorum indicem exhibentia, adjuncta videas, quæ sunt in exemplo anni 1614. Habent præterea utriusque generis exempla singulare hoc, quod pag.

ultima (474) ima post verba: — — كَمَلْتُمْ "Completi sunt
"Psalmi cum nonnullis laudationibus, fauente Deo excelso, cui
"laus semper." positam habent vocem (custodem nostri typographi dicunt, Galli Reclame) وقدوس, quæ fraudi esse possit.

& suspicionem excitare defectus alicujus. Sed videtur nescio qua ratione factum esse, ut illa vox repeteretur a pag. 468. ubi suo illa loco posita.

Qui teste Altero (Handbuch von Rosenmüller, III. T. pag. 51.) Viennensi exemplo adhærent Indices, pertinent ad Dictionarium latino-arabicum auctore J. B. Duval. Paris. 1632. 4.

Editionem absque versione latina, & ipsam Romæ 1614 ex typographia Sauariana profectam refert primo Lelong, pag. 125. col. 2. deinde Masch, pag. 122. sic inscriptam: Psalmi Arabici *ex Græco*, cura & studio Gabr. Sionitæ — Romæ. 1614 4. Et Assemâni quoque, Catalog. Biblioth. Medic. pag. 56 affirmavit: "Gabriel Sionita Psalmos etiam Arabicos *ex Græco* edidit typis Sauarianis, excudente Stephano Paulino." annum editionis haud prodens. Et novimus, esse exempla, quæ nonnisi arabicum textum referant, & quidem binis unaquaque pagina columnis: sed sunt etiam hæc ejusdem plane editionis, nam in his quoque typographica errata omnia prorsus eadem. Putamus, inter excudendam editionem arabico-latinam, perfectis singulis plagulis, uniuscujusque paginæ latinam columnam ex forma (ut cum typographis loquamur) exemptam fuisse inque ejus locum arabicam columnam alteram insertam, ut nunc forma denuo commissa prælo paginas redderet mere arabicas, pararenturque exempla mere arabica, quæ orientalibus hominibus, forte etiam Muhammedanis tradi possent. De duobus istiusmodi exemplis certo cognovimus, postremam quidem paginam, ut in cæteris, exhibere & Insignia Sauariana, & verba hæc: "Romæ, ex Typographia Sauariana MDCXIII. Excudebat Stephanus Paulinus Superiorum permissu" & plagulas quoque signatas esse litteris latinis, A — Gg: sed præter hæc nihil conspici quod non sit arabicum, exemptas quoque esse numeros & paginarum & versiculorum, inscriptionem libri ipsam esse mere arabicam. Asse-

mánius igitur quæ tradidit, & ipsa Lelongii sunt, nec habent quidquam auctoritatis.

9. Pauli Apostoli ad Romanos epistola, arabice. ex bibliotheca Leidensi. Leidæ, in typographia Erpeniana, linguarum orientalium. 1615. 4. pagg. 48.

Quod absoluta ad Romanos epistola plagulæ E vacarent quatuor paginæ, adjecta est etiam Epistola ad Galatas, cujus in inscriptione & præfatione, quod esset utraque jam typis descripta. mentio facta nulla. Masch pag. 133 "Textus, ait, Epistolæ ad Romanos sine versione, attamen cum punctis hîc prodit." Sed caret arabicus sermo omnibus & vocalibus & cæteris lectionis notis, quibus necdum instructa erat Erpenii nova typographia, cum alterum hoc specimen, post primum, Lokmáni fabulas, eaderetur. Vid. Ejusd. præfatio ad Historiam Josephi. 1617. 4.

10. Novum D. N. Jesu Christi Testamentum arabice. ex bibliotheca Leidensi edente *Thoma Erpenio*. Leidæ in typographia Erpeniana linguarum orientalium. 1616. 4. pagg. 648.

Quam doctissimus Marsh, (Anmerkungen und Zusätze zu J. D. Michaelis Einleitung, I. T. pag. 100.) ut suam obtulit, opinionem vix dubiam aut incertam habere poterit, quicumque non sine adhibita animi intentione Erpenii præfationem legit. Formulam, qua describendi finis factus esse dicitur die 16 mensis Baunæ (Junii) anno 988 Martyrum, (Christi 1271.) ad Evangeliorum librum solum pertinere, planissime consequitur ex dictis Erpenii proxime antecedentibus. Altera igitur formula, qua codex exaratus esse dicitur anno Martyrum 1059 (Chr. 1342.) non potest non de universo volumine ad finem peracto accipi. Et sic quoque refert Catalogus librorum Bibliothecæ publicæ Universitatis Lugduno-Batavæ, Lugd. Bat. 1716. fol. pag. 410. "N. T. integrum, Arabicè, scriptum

A. 134^r cum variantibus lectionibus ad Acta Apost. Epistolas & Apocalypsin. Ex hoc exemplari editionem suam expressit Cl. Erpenius." Textus arabicus, neque versionis neque annotationis quidquam habens, caret quoque vocalibus legendique cæteris adjunctis. Haud multa libri exempla facta esse, testis est, qui de eo retulit in Nachrichten von einer Hallischen Bibliothek, II. T. pag. 294.

11. Pentatevchus Mosis arabicè. Lugduni Batavorum, ex typographia Erpeniana Linguarum Orientalium. prostant apud Johannem Maire. 1622. 4. pagg. 458.

Qui editionem curavit *Thomas Erpenius*, usus est libro in isto bibliothecæ Lugduno Batavæ, in Catalogo pag. 409. commemorato perpauca hisce verbis: "Pentateuchus Arabicè script. Rabbin." Sed Rabbinica scriptura conversa est ab editore in arabicam, nullis tamen vocalibus additis. Menda in componendis litteris commissa, haud sane infrequentia, certe in eo, quo nos utimur, exemplo, calamo, adhibito subinde etiam scalpello, studiose sunt emendata; sicubi vox, vel vocum series omissa fuerit, adscripta loco est nota \wedge , quæ moneat, in calce reperiri quæ sint addenda; sunt quoque duobus locis chartæ segmenta illita ad corrigendam lectionem pag. 22. lin. 2. & 4 & pag. 248. lin. 8.

De versionis ad verbum adstrictæ indole omnino videndus est Hottinger, in Thesaur. Philolog. Tiguri 1659. 4. pag. 267 — 270. vel Eichhorn, Einleitung, I. T. pag. 590. edit. III.

12. Epistolæ S. Johannis arabice & latine, *Jonæ Hambræi*. Parisiis. Vitré. 1636. 12.

Hæc ex Lelongii Bibliotheca, pag. 127. repetit Masch, pag. 136. non habens, quod ipse posset addere. — Versio latina est inter lineas posita. Tertia Johannis epistola explicit pag. 100.

Proximâ hæc legas : “Ne paginæ aliquot sequentes vacarent, visum etiam fuit mihi, primam sectionem Euangelii Diui Johannis itidem Arabicè, cum versione interlineari latina, per me illustratam, Coronidis loco adiciere.” Pag. 111 exstat Approbatio Gabriel: Sionitæ scripta Parisiis 24 Aug 1630. quæ dicit versionem latinam esse M. Jonæ Hambræi. Extrema tandem pagina hæc: Parisiis, excudebat Antonius Vitray, Linguarum Orientalium Regis Typographus. M. DC. XXX.

Les Epîtres de S. Jean en Arabe & la Passion de N. S. selon les 4 Evangelistes, en Syriacque, traduites en Latin. A Paris de l'imprimerie d'Antoine Vitré. 1672.

Præmissa est significatio hæc: Ce petit ouvrage est une édition des épîtres de S. Jean en arabe, & la passion de N. S. selon les 4 evangelistes en syriacque, avec les versions latines. Il y a près de 40 ans que j'en achevai l'impression, qui est toujours demeurée dans un magasin, parceque j'attendois que celui qui me l'a fit faire l'envoyât retirer. Mais depuis quelques jours, ayant eu une envie qui est assez naturelle aux personnes de mon âge, de jeter les yeux sur les ouvrages que j'ai fait, j'ai trouvé cette impression dattée de l'année 1635, & j'ai été bien aise de donner au public ce temoignage du long temps qu'il y a que j'ai l'honneur de travailler pour les lettres, par le commandement de Messeigneurs du clergé, et lors même que les caractères des langues orientales n'étoient pas encore connus dans les imprimeries de France &c. Certum igitur, non nisi unam editionem exstare. exempla autem, quale penes nos est, quæ junctam non habeant Passionem Syriacæ, & folio primo, quod solemnem inscriptionem referat, careant, fortuito ex typographi potestate esse elapsa.

Passio autem est pagg. 156. Extremo folio hæc: “Historiam passionis D. N. Jesu Christi Syriacè, è quatuor evangelis, adhibita interlineari versione, contextam à M. Jona Hambræo

bræo vidi, legi, contuli cum hactenus excusis Syriacis codicibus ego Hieronymus Parent Parisinus Theologiæ Doctor Sorbonicus XVII Calendas Junias anni M. DC. XXX." In tergo: Excudebat Anton Vitray &c. M. DC. XXXV.

De Joh. *Hambæo*, nato in Suecia 1588. & professore primum Upsaliæ, deinde Parisiis locum nacto, ibique in misera conditione defuncto anno 1665. vid. Adelung, in Fortsetzung und Ergänzungen zu Joecher's Allgem. Gel. Lexicon, qui haud pauca ab eo edita commemorat, hunc vero librum ignoravit. Ignoravit eundem & ipse De Guignes, cum ederet 1787 *Essai historique sur l'origine des Caractères Orientaux de l'Imprimerie Royale, sur les Ouvrages qui ont été imprimés à Paris &c.* Qui Ambreus dicitur, in *Geschichte der alten und neuen Herrnhuther* — aus dem Holländischen — Tübingen 1805. 8. pag. 193. non est nisi ipse Jonas Hambræus.

13. Li sette Salmi penitentiali. In Roma nella stampa della Sac. Cong. de Prop. Fide. M. DC. XLII. con licenza de Superiori. 8.

Facit omnino solennis hæc inscriptio, ut libellum seorsim editum esse putes: sed proximum folium paginæ numerum gerit 163. refertque iterum inscriptionem hanc: Li sette Salmi penitentiali, con le Litanie della Beatissima Vergine, che si cantano ogni sabbato nella santa Casa di Loreto. Dopò le quali, habbiamo posto secundo l'ordine del numero Arabico tutti i luochi della scrittura sacra, e de' Santi Padri, donde esse Litanie sono state cauate, parte Ad verbum, e parte Ad sensum. Nimirum est nonnisi accessio ad librum, *Biblioth. Arab. P. V.* pag. 17. num. 14 commemoratum: verum cum post *Lelongium Maschius* inter biblicas editiones librum referat; nolimus eum in hac serie desiderari.

14. S. Jacobi Apostoli Epistolæ catholicæ versio Arabica.

D



& Aethiopica, latinitate utraque donata, nec non a multis mendis repurgata, punctis vocalibus accurate insignita — — operâ, labore ac studio indefesso Joh. Georg. Nisselii, & Theod. Petræi. Lugduni Bat. 1654. 4. pagg. 32.

Inscriptionem integram vid. in Baumgartens Nachrichten von merkwürdigen Büchern, 6. T. pag. 7. ubi quoque non unam in omnibus unius ejusdemque editionis exemplaribus inscriptionem deprehendi observatum est. In eo videntur omnia exempla consentire, ut careant omni præfatione. Arabicus textus repetitus est ex editione Erpenii.

15. S. Johannis Apostoli & Evangelistæ Epistolæ Catholicæ tres, arabice & æthiopice — — cura ac industria Jo. Ge. Nisselii & Theodori Petræi. Lugd. Bat. 1654. 4. pagg. 40.

Neque hic præfationis quidpiam exstat. Postrema pagina nonnullæ MSti Leidensis lectiones ad Erpenii editionem adsparguntur.

16. S. Judæ Apostoli Epistolæ Catholicæ Versio arabice & æthiopice — — a Jo Ge. Nisselio & Theod. Petræo. Lugd. Bat. 1654. 4. pagg. 24.

Pag. 13 incipiunt Ad S. Judæ Epistolam observationes aliquot philologicæ brevesque variantis lectionis notæ de contextu arabico, & pag. 23 Animadversiones quædam ad textum Aethiopicum, quibus Romanæ editionis loca aliquot emendantur.

17. Li sette Salmi penitentiali. — Romæ, 1668. 8.

Est hujus editionis eadem ratio quæ prioris, num. 13. De libro ad quem pertinet, dictum Biblioth. arab. P. V. pag 21.

18. Biblia arabica sacræ congregationis de propaganda fide jvssv edita ad vsum Ecclesiarum Orientalium: Additis e

regione Bibliis Latinis Vulgatis. Tomus I. (Eadem arabice.) Romæ, anno MDCLXXI. Typis ejusdem sacræ congregationis de propaganda fide. Tom. II & III eodem anno. fol.

Narrationem, quomodo institutum & peractum, deinde inhibitum recognitumque fuerit hoc opus, cœptum anno 1624 & demum 1671 absolutum & vulgatum, quam dedit Franc. Nazari, Giornale de' Letterati, Rom. 1672. 4. pag. 1 sqq. germanice versam tradit cel. Rosenmüller, Handbuch, III. T. pag. 56 — 61. Exempli, quo nos usi sumus, Tomus I. complectitur Pentateuchum pag. 1 — 331. deinde pag. 1 — 472. libros Jos. Jud. Ruth, IV. Regum, II Paralipom. Præmissa est præfatio, primum latina, deinde quæ eadem plane refert arabica. Auctor præfationis, teste Nazario, est Ludovicus Maracci. In ea leguntur hæc: "Sacra Congregatio jussit in hujus Arabicæ Editionis Impressione Latinum Vulgatæ translationis textum vbique e regione Arabici textus apponi, tanquam certam regulam ac normam, qua posset vnusquisque & cognoscere & corrigere quicquid vel Scriptorum ac Typographorum vitio, vel Interpretum & Correctorum defectu in Arabico textu peccatum fuisset" Tomus II complectitur reliquos Vet. Test. libros omnes, quos sacros suscipit Romana Ecclesia ex decreto Concilii Tridentini, Esdr. Nehem. Tob. Jud. Esth. Job. Psalm. Parabol. Eccl. Cant. CC. Sapient. Ecclesiast. pag. 1 — 505. & pag. 1 — 526. Prophet. & Macchab. I & II. Tomus III. Evangelia quatuor pag. 1 — 208. Acta Apost. — Apocal. pag. 1 — 283. Accesserunt hæc: I. Index testimoniorum a Christo & Apostolis in Nov. T. citatorum ex Veteri. II. Hebraicorum, chaldæorum græcorumque nominum interpretatio. III. Index Biblicus, qui res eas, de quibus in sacris Bibliis agitur, complectitur. Omnia hæc latina primum, deinde etiam arabica. Singulis tomis adest Series Erratorum, non sane nimis longo agmine prodeuntium, cum primis in Vol. III. nec, monente præfatione, omnia in indicem

relata errata in omnibus æque exemplis deprehenduntur, "quoniam non raro post aliquot paginarum impressionem, ab iis, qui Typographiæ mendis emendandis præerant, errata nonnulla deprehensa, & sub torculari in reliquis paginis correctæ sunt." Exemplæ autem operis facta supra mille & quingenta. Orientalibus parum probatam fuisse hanc editionem tradit Rich. Simon, *Lettres choisies*. Amsterd. 1730. T. II. pag. 165. "On a imprimé à Rome une Version entière de la Bible en Arabe, qui avoit été retouchée sur la Vulgate. Mais cette Traduction Arabe est tombée d'elle-même, les peuples du Levant ne peuvent goûter ces sortes de Version. Les Maronites mêmes, quoiqu'ils soient entièrement soumis au Pape, ne les approuvent point: ces peuples sont amateurs de leurs anciennes Versions, & de leurs anciens usages."

o. Epistolæ Joannis arabice. Paris. 1672. 12. vid. num. 12.

19. Liber mere arabicus. Inscriptio latine reddita hæc: "Septem Psalmi pœnitentiales & Laudatio Virginis Mariæ. Qui curavit hoc opus divinitus revelatum, Rogat (pro ipso recitari) Pater noster qui es in cœlo; Qui misericordia usus fuerit erga ipsum & defunctos ipsius (cognatos), Nanciscetur & ipse misericordiam in morte sua. Parisiis anno Christi 1679." (Littera ρ posita pro voce $\delta\alpha\sigma\tau\iota\sigma\mu\omega$.) Altera primi folii pagina hæc: Ter dicta formulâ: Sanctus est Deus — recita orationem Dominicam, tunc dicas: Ave Maria plena gratiæ — tunc recita Fidem, post hanc septem psalmos pœnitentiales. Sequuntur pag. 3 Psalmi VII. addito pag. 18 psalm. 117. Sequitur pag. 19 — 24 Laudatio Mariæ. Pag. penultima hæc legas: o debilis pauper Monache de gente Syriaca, lauda & dic: repte stata tua tempora in officio Ejus, & ne sis languidus, neque segnis. Ex quibus colligas, Maronitam nonneminem hunc librum concinnasse.

Sequitur nova inscriptio: "Liber Cogitationum & Meditationum christianarum. Qui curavit &c. Gratis accepistis, gratis date. Paris. anno Chr. 1679." Præfatio copiosa commendat libri usum universis, illis etiam qui sint aliis occupatiores. Sunt autem meditationes 31 pro singulis diebus mensis, 1. de Fide, 2. de fine hominis, 3. de vilipendendo mundo, rel. Pagina penultimâ monetur lector his: "Sunt qui in exemplis suis libri hujus nostri nonnulla immutarunt a nobis tradita, antequam excuderetur: et quum repererimus ea alterata quoad sensum, par est ut caveas ab illis. Postremo loco pag. 133 latine hæc posita: Parisiis excudebat Petrus Le Petit, Typographus Regius. M. DC. LXXIX. Formula illa, in ipsa inscriptione posita, *مجان اخذتم مجان اعطوا*, *gratis accepistis, gratis date*, innuere videtur, factam esse hanc editionem eo consilio, ut nullo pretio exempla cederent orientalibus christianis. De Guignes, commemorans hunc librum, *Essai historique sur l'origine des caractères orientaux de l'Imprimerie Royale* — pag. LVII. observavit, opificem in componendis typis arabicis minus versatum dextrumque se exhibuisse. Poterat etiam hoc observasse, editorem puri emendatique dicendi generis minus vel gnarum vel studiosum fuisse: scribit enim *قول*, dic, pro *قل*, litterasque *ن* & *ر*, *ت* & *ث*, *س* & *ص*, *ض* & *ظ*, permutat, & quæ sunt alia. Post hunc typis arabicis Savarianis alius liber abhinc nullus prodiit.

Sane referendus erat liber inter illos qui sunt enumerati *Biblioth. Arab. P. V.* verum a Maschio cum fuerit relatus inter *Biblicos*; nobis quoque visum est hoc ordine eundem collocare.

20. S. Jacobi Apostoli *Epistolæ Catholicæ*, *Versio arabisca* cum interpretatione & punctatione Nisselii, cui accessit *Glossarium radices in eâdem occurrentes serie Alphabetica exhibens in gratiam S. Philologiæ Consecrancorum edita cura*

& studio, *M. Nicolai Panecii*, Zittavia-Lusati, Wittenberg. 1694. 4. pagg. 25.

Glossarium quod accessit, præter radices nomina quoque complectitur haud pauca.

o Biblia arabica. Bucuresti in Walachia. 1700.

Alexander Heladius, Græcus, in libro: Status præsens Ecclesiæ græcæ — edito 1714. 8. cum præfatione scripta Altorffii, ubi nomen inscripserat d. 1. Jun. 1709. (Will, Geschichte und Beschreibung der Nürnberg. Universität Altdorf. pag. 141.) prodidit pag. 17. hæc: "Libri Ecclesiastici etiam in lingua Arabica An. MDCC. unacum N. & V. Testamento cura Patriarchæ Antiocheni *Bucuresti* prodierunt, alique plurimi indies ibi imprimuntur." — Hinc non dubitavit Lelongius referre pag. 25.

Biblia arabica, in fol. Ducurestii in Walachia 1700. eundemque secutus est Maschius, pag. 117. Jo. Dav. Michaelis, ab omni dubitatione alienus, spem & ipse fovit & fecit aliis, fore, ut de libro quantum satis esset, posset referre. (vid. Einleitung in die Schriften des N. Bundes. Ed. IV. pag. 454.) Quid? quod Assemáni (Biblioth. Medic. pag. 57.) commemorans arabicum codicem, Prophetas majores minoresque complectentem, affirmavit: "Versio hæc præstantissima est, & cum Codicibus Alexandrinis, sive Græca septuaginta Interpretum concordat, editaque legitur in Bibliis Arabicis, quæ anno Christi MDCC. Ducurestii in Walachia prodierunt, cura Patriarchæ Antiocheni Melchitarum." — Nos vero haud dubitamus vanam ac inanem pronuntiare de Bibliorum arab. editione Bucurestensi opinionem.

Novimus, (vid. Biblioth. Arab. P. V. pag. 25 sq.) librum Ecclesiasticum arabice & græce in Walachia 1701 editum esse curante Patriarcha Antiocheno, Athanasio, sumtibus Principis Walachiæ: sed Biblia arabica ille ipse, qui edidisse fertur

ab Assemanio, Patriarcha haud commemoravit, ne innuit quidem in Epistola sua ad Principem, in qua nullo tamen modo poterat abstinere ab illis commemorandis: immo vero ex eadem certissime cognoscitur, Liturgicum illum librum fuisse primum opus profectum ex typographia a Principe instituta. At dixeris, forte in anno significando solum nonnihil erroris esse, prodiisse Bibliorum editionem post librum Liturgicum, prodiisse tamen revera. Sed ne huic quidem cogitationi potest esse locus. Etenim anno etiam 1706. cum Athanasius Patriarcha Halébi ederet Psalmos arabice; iterum quidem ille gratus commemoravit Liturgicum librum, Bibliorum autem editorum mentionem aliquam ut faceret tantum abest, ut potius Epistolam ejus Psalmis præmissam legentibus non possit non certissime constare, haud quidquam biblici operis antehac vel in Walachia vel ab Athanasio Patriarcha typis editum fuisse. In Helladio, homine græco, inter exteros versante, excusationem habet erroris, vel levitatis etiam suspicio: at non excusari potest in Assemanio temeritas, qua videri voluit librum se ita cognitum habere, ut de versionis etiam indole posset pronuntiare.

21. Geneseos quinque capita Arabice & Latine ex Polyglottis edita, studio Georgii Christiani Burklini. Francofurti 1700. 4.

De libro nobis nunquam viso non est quod referamus. De editore, privato doctore Giessensi, Joh. Henr. Majus, filius, ad Uffenbachium hæc scripsit anno 1714. "De Burklinio vix est, ut operam tibi in perlustrandis (tuis) codicibus mstis spondeas. Eo enim vir bonus & diligens natus est ingenio singulari, et fere dixissem mirabili, ut religioni sibi ducat, alios evolvere libros, quam sacros, aut sacra exponentes. Accedit, quod tanta ejus non sit peritia, ut omnes cujuscunque generis libros manu exaratos intelligere valeat,

qui in levioribus & facillioribus hæret unice. Non hæc scribo vituperandi causa, quod iniquum esset & non tolerandum, maxime cum Præceptorem habuerim illum, sed monendi gratia. Grammaticus est, prætereaque nihil." Vid. Commercii Uffenbach. Selecta. 1753. P. I. pag. 235.

22. Novum Testamentum Syriacum & Arabicum. Romæ typis Congregationis de propaganda fide. 1703. fol. Vol. II.

Maschius cognitum habuit librum (pag. 92.) ex Lorckii BibelGeschichte, P. I. p. 426. ubi ex Catalogo librorum Congreg. de P. F. ann. 1773. memoratur. Haud cognitum ille habuit locum Assemani, Catalog. Biblioth. Medic. pag. 51. Hic vero exemplum calamo scriptum anno 1611 indicatur, ex quo editionem factam esse perhibet Assemani. "Hoc nobis planum est, ait, duas modo exstare apud Christianos Orientales Testamenti Novi arabicas interpretationes; Alexandrinam e græco textu expressam, qua utuntur Melchitæ & Coptitæ, editaque legitur tam in bibliis Parisiensibus & Anglicanis, quam in pluribus alibi codicibus impressis; & Antiochenam e Syriaco conversam, cujus est frequens usus apud Syros, quæ in Nestorianos seu Chaldæos, Jacobitas, & Maronitas dividuntur. Hæc anno Christi MDCCIII. jussu sacræ Congregationis de P. F. ad usum ecclesiæ nationis Maronitarum in lucem prodiit Syro-Carsciunice juxta hunc eodicem" — Est fere quod mireris, hanc syriacam editionem inter nos etiamnum prorsus esse incognitam, ut de ejus indole ac usu haud quidquam constet.

23. Psalmi mere arabici, editi ab Athanasio Patriarcha Antiocheno. Halebi, 1706. 4. pagg. 295.

Inscriptionem arabicam vid. in Handbuch von Rosenmüller, III. T. pag. 52. ubi الشمسية reponendum pro الشمسية, & وسمعية pro وسمعية. Inscriptionem excipit Epistola Athanasii



nasii ad Dominum Joannem Constantinum Basarába Brancowân Principem Ungaro-Walachixæ, de quo conf. Biblioth. Arab. P. V. pag. 28. Ut ex eadem referre nobis liceat, effecit benevolentia celeb. Rosenmülleri, qui textum arabicum, descriptum ex Dresdensi exemplo, nobiscum liberaliter communicavit. Scripsit ille hæc:

Gaudium magnum incessit christianos, quum apparuit Constantinus Magnus gestans signum Crucis, quod virtute victoriæ maximæ (adversarios) prostravit, ut, qui antea a Græcorum injuriis oppressi essent Fideles, evadent subito victores & tuti Deo adjuvante. Multo magis nunc occupat gaudium universum, imo perfectissimum omnes Fideles, quum comparuisti, o heros generosissime, gestans manu tua zelum illum spirituales, qui abs te profectus pertingit ad Fideles versantes in terris arabicis. Vere tu refers Maccabæum illum, Zelatorem suæ gentis, qui actus zelo Dei spirituali sancto pro populo Dei novam illi opem tulit, collegitque dispersos. At, quid ego hoc Maccabæi nomine te compello? Tu vero refers Apostolos sanctos, qui miserunt eleemosynas ad fratres fideles in terra Judaica servitute oppressos. Eadem sunt tua merita, Celsissime! quod misisti primum eleemosynas tuas ad fratres fideles in terris arabicis ignominiam & vim patientes, eo quod mitteres *Liturgiarum librum* (كتاب القناداق, Κοιτάκιον), quem tua liberalitas fecit typis excudi; & deinde eo quod, per tuæ beneficentiæ jam memoratæ abundantiam ejusque liberalitatem erga christianos, contigit nobis etiam cogitare de imprimendo *Psalterio* Davidis lingua arabica, juvandis Fidelium natis. Itaque tu fuisti velut is, qui cum patrum primo rationem habuisset, deinde natorum quoque curam gereret. Siquidem prospexisti primum tua gratia Sacerdotibus ecclesiæ Dei sanctæ, deinde filiorum quoque curam habuisti, ita ut utramque

E

partem gregis Domini Christi amplecteretur gratia tua. Tuam enim Celsitudinem non potest latere, quod suum nobis auxilium per te perfecit Deus, cum nos ed direxit (حيث انه وقعنا اليه على طبع الحروف العربي —) ut institueremus typographiam litterarum arabicarum in urbe Haleb in praefectura Syriæ. Et primum quod excudimus est hoc Psalterium, cujus exemplum ad te mittitur, primum ut tuæ erga nos beneficentiæ gratias rependamus; secundo offerimus tibi hunc sanctum librum loco muneris, tuæ enim liberalitati debetur, tibi que offertur, ut nobiscum gratias agas Deo, ut qui substituit te in locum Moses amici sui, ut conspicuam redderet per te bonitatem suam, quæ omnem populum orthodoxum complectitur. Quippe Moses ille magnus tradidit binas tabulas præceptorum populo Israëlitico, quibus doceretur ad leges Dei rectas vitam instituere. Et nostra gens accepit abs te binas tabulas librorum ecclesiæ Catholicæ, librum *Liturgiæ & Psalterium*, ut utroque utentes Deo serviant perfecto obsequio & alacritate propensa. Quam acceptum habebit te Deus, ubi viderit sanctos hos libros quotidie recitari in ecclesiis tam multis in variis locis &c.

Ex præfatione lubet hæc transcribere :

— Deinde animadverti, Psalmos Davidis prophetæ & regis, qui nullo non tempore singulisque momentis recitantur in ecclesia Dei, & sine quibus non potest perfici officium præscriptum, esse baculum firmum parvulis natisque fidelibus, (quo nitantur): sunt vero scala intermedia, qua ascendant fideles ad cognitionem, quomodo laudandus sit Deus & magnificandus in ecclesiis & monasteriis sanctis. Igitur suscepi nunc sanctum hoc psalterium typis excudere, pro instituendis filiis Christianorum in scholis, ut parabilis esset liber & opulentis & pauperi-

bus & minori pretio constaret quam liber calamo scriptus, ne esset quo recusare possint pauperes institutionem natu-
torum, & ne deesset illis cognitio, quam parare sibi jussi
sunt a Deo, dicente Prov. IV. (vers. 1.) Audite, filii,
disciplinam patris, & auscultate, ut discatis intelligentiam.

Priusquam hoc Psalterium excuderetur, correximus
illud correctione mediocri (h. e. quantum in nobis erat),
orthographiam exigentes ad grammaticæ normam, sed
(in sermone ipso) nihil mutavimus præter viginti *na-
bi-
m-
ta*, horum enim compositionem correximus, quod
deterioris essent Arabismi Ubi ab initio dicti alicujus
videris crucis signum præfixum; scito, legendum esse
hoc dictum more sciscitantis, id est, interrogando, us-
que ad clausulam quæ sequitur illud. Et absolutum est
hoc opus anno Christi 1706 in urbe Haleb, quæ cogno-
men habet Albæ, estque ex præfecturis Syriæ secundæ.
Memores estote misericordiæ & orationis. Et precamur
Deum, ut perficiat propositum nostrum auxilio suo & be-
nedictione. Amen.

24 Quatuor Evangelia arabice. Aleppi, sumtibus Ana-
stasii Græcorum Antiocheni Patriarchæ. 1706. fol.

Teste Jos. Simon. Assemanio, Biblioth. Orient. Tom. I.
pag. 631. nec non Steph. Evodio Assemanio, Catalog. Biblioth.
Medic. pag. 65.

25. Lectiones Evangelii per annum, cum Homiliis & Ka-
lendario. Aleppi. fol. intra ann. 1706 & 1711.

Teste Jos. Sim. Assemanio, Biblioth. Or. P. I. pag. 631.

26. Psalmi Arabice. Patavii typis Seminarii. 1709. 8.

Prima editio Aleppensis anni 1706. iterum prælo sub-
jecta est. q) q) Assemani Catal. Bibl. Medic.
p. 64.

Maschii hæc sunt. At Assemani neque formam libri, quod sit in 8. tradit, neque Patavinam editionem dicit Aleppensem repetitam. Verba ejus sunt hæc: "Liber Psalmorum Arabicus. — Arabica hæc Psalmorum interpretatio edita est juxta Græcam Septuaginta interpretum ab Abdalla Ben Al Phadeli, Diacono Melchita, prodiitque *Patavii typis Seminarii*, anno MDCCIX. Aleppi sumtibus Athanasii, Græcorum Melchitarum Antiocheni Patriarchæ, anno MDCCVI. & novissime in Kesroano Montis Libani, Dioceseos Berytensis, excudente Abdalla Ben Zacher, Clerico Melchita, qui Arabicam Typographiam omnium præstantissimam, decem abhinc annis in urbe Aleppi suo Marte excogitavit, & apud Monasterium S. Joannis Baptistæ de Soairo, in meridionali ejusdem Kesroani parte positum, deinde erexit." — Alio loco, Catal. Biblioth. Medic. pag 37. auctor ille versionis Psalmorum arabicæ, qua Melchitæ utuntur, dicitur Abdalla Ben Alphadl Diaconus, Archiepiscopi Abdallæ filius, Syro-Melchita, qui ante sæculum Christi XII Antiochiæ claruit, multosque libros e græco arabicos fecit.

26. b Gymnasium Arabicum, in quo tres Davidis odæ — —
exhibentur a Wichmannshausen. Wittenberg. 1714. 4.
Vid. Biblioth. Arab. IV. num. 87.

27. Paraphrasis arabica quatuor primorum capitum libri
Geneseos cum versione latina. item Index alphabeticus om-
nium vocum arabicarum, in quatuor his capitibus lectarum,
qui lexicum vitem (*sic*) supplere queat. 4 maj. pagg. 31. absque
significatione loci, anni, editoris.

Separatim editum esse librum, non conjunctum cum alio quodam, loquitur facies ejus universa. Et inter Batavos quidem prædiisse, caret dubitatione. Arabici typi sunt simillimi illis, quos adhibitos videas in Enchiridio Studiosi edito ab Hadriano Relando, Trajecti ad Rhenum. 1709.

28. Psalmi arabice. (Londini, sumtibus Societatis de propaganda cognitione Christi apud Exteros.) 1725. 8. pagg. 230.

Novum Testamentum arabice. (ibidem, sumtibus iisdem.) 1727. 4. pagg. 643.

Post ea, quæ de utroque libro recte tradidit Maschius, nos quæ dicenda nobis habere videmur, sunt fere hæc. Præfatio ad Psalmos refert, Athanasium, Patriarcham Antiochenum Græcum, parandis libris sacris perquam intentum, aliquot antehac annis (منذ سنين) vulgasse Psalmorum librum arabicum, Halebi typis descriptum: sed cum sint in eo nonnulla minus bene expressa; græci textus nova comparatione facta, discipulum Ejus, Soleimânnum presbyterum, recognovisse versionem arabicam ad sermonis indolem & subtilitatem, cum ad observantiam doctori suo, Patriarchæ, monstrandam, tum ad libri usum inter omnes Christianos orientales magis propagandum; eapropter in minorem formam illum nunc reductum esse, ut etiam peregrinantium quisque secum habere illum & nullo non tempore adhibere possit. — Soleimân ille vulgator est nomine *Salomonis Negri*. Exstat *Memoria Negriana* hoc est Salomonis Negri Damasceni Vita olim ab ipsomet descripta, nunc autem accessionibus quibusdam illustrata — ex autographo auctoris edidit Gottl. Anastas. Freylinghausen, Halæ Salicæ 1764. 4. In sua Historia Congregationis Cardinalium de propaganda fide, Regiomonte 1721. 4. edita, passim virum commemoravit Theoph. Sigefr. Bayer, cui primo loco, pag. 9. Salomon Niger, mox pag. 11 Sal. Al Sadus seu

Niger dicitur, dehinc autem constanter audit Salomon AlSadi (السادي), quod genuinum hominis Damasco oriundi cognomen putandum est. Eratque in magna dignatione positus apud Bayerum, & ipsum doctrina atque iudicio prestantem. Quippe pag. 25 recitata AlSadii sententia de libris arabicis, editis congregationis de P. F. typis, addidit ipse: "Vehemens sane iudicium. Tamen ut erat vir magna eruditione & gravitate, nihil mihi temere dixisse videtur." Atque iterum, pag. 29 ex vita hominis, quam manu ejus scriptam penes se habebat, relatis casibus praecipuis, "Homo, inquit, cujus virtutes & eruditionem praedicare nunquam desistam." At Jo. Jac. Reiske, neque enim alius est qui de utroque libro retulit in Baumgarten's Nachrichten von merkwürdigen Büchern, Halle. 1753. pag. 283 sq. in editore peritiam nec non puritatem sermonis desideravit, fidemque rei fecit propositis speciminibus. Certe hebraici fontis usum fuisse Salomoni, neutiquam credibile. — Peracta est editio typis antea haud visis, perquam elegantibus, quales deinceps Göttingam expetiti ornabant quae arabice ederet Jo. Dav. Michaelis. Tamen ubi majusculis typis opus esset, adhibitos videas antiquiores illos minus probabiles, quorum usus erat in edendis Bibliis Polyglottis Waltonianis, nec postmodum alius alicubi se nobis obtulit.

Quem Maschius ad cognoscendam rei historiam commendat, liber: An Extract of several Letters &c. Londini 1720. 8. cum non possit non esse paucissimis obvius; dicenda magis Bibliotheca histor. philolog. theologica Bremensis, cujus Classis quartae fasciculo IV. anno 1721 edito pag. 711 sqq. videas Excerpta ex litteris quibusdam Anglicis de nova versione arabica Novi Testamenti &c. unde intelligitur, constitutum fuisse, exemplorum octo decemve millia parare, nulla mercede distribuenda. — Caeterum in Catalog. Biblioth. Medic. pag. 65. exstat locus invidiae injuriaeque plenus, qui Maschii effugit diligentiam. Assemani, commemorans Evangelium, Ara-

lice e Græco, hæc promit: "Evangeliorum hæc interpretatio, quamvis juxta sensum græci textus sit elaborata, pluribus tamen in locis discrepat ab editis in Polyglottis Parisiensibus & Londinensibus: ex eo fortasse, quod elegantiori arabici idiomatis phrasi illam auctor, seu interpres adornaverit. Eadem legitur impressa Aleppi in folio, anno Chr. MDCCVI. sumtibus Athanasii Antiocheni, Græcorum Melchitarum Patriarchæ; & Londini in 4. unacum reliquis Novi Test. libris, & Decalogo, anno MDCCXXV. (sic) cura & studio cujusdam Mercatoris Anglicani, qui versus omnes & loca, quibus Catholicæ veritatis dogmata comprobantur, in præfata editione Londinensi nefarie depravavit: ejusdemque quatuor fere millia exemplaria optime compacta Coptis, Melchitis, Jacobitis, & Maronitis dono dedit: indigna hæc fraude autumans insanas Novatorum in Sanctam Romanam Ecclesiam hallucinationes Christianis Orientalibus communes facere, & maximum in Asia & Africa catholicæ religionis incrementum detinere; sed perperam: depravatæ enim hujus Novi Test. editionis vix certiores facti orientalis Ecclesæ Præsules, quamplurima exemplaria concremarunt, ceteris proscriptis, & anathematis pœna in legentes, vel eadem exemplaria retinentes inflicta." Arabicam utriusque libri inscriptionem refert Handbuch von Rosenmüller, III. T. pag 54 & 136. Psalterium non una forma sed duplici editum esse fertur in Adlers biblischkritischen Reise nach Rom. 1783. 8. pag. 135.

30. Particula concionis montanæ a Domino nostro Jesu Christo, Matth. V. cura D. J. H. Callenbergii, arabice. Halæ in typographia instituti Judaici. 1730. 12. Masch. pag. 132.

31. Colloquium Christi cum muliere Samaritana. Halæ 1731. 12.

Narratio de Lazari in vitam reditu. ib. eod.

Christi Supplicatio pontificalis. ib. eod. Masch, pag. 133.

o "Psalmi Arabice. Aleppi 1735, 8. Notat editionem *Henricus Schulzius* in Bibliotheca Arabica. *Abdalla Ben Zacher* Clericus Melchita anno 1732 typographiam Aleppi exstruxit, quam elegantissimis typis Arabicis exornavit."

Hæc Maschius, pag. 124. Fontem alium non potest habuisse nisi M. Henrici Scholtz, Siles. p. t. Prof. Phil. Ordin. & Gymnas. Altonav. Rect. Specimen I Bibliothecæ arabicæ, de Typographiis arabicis. Hamburgi 1741. 4. quod agit cap. 1 de typis arabicis generatim pag. 3—8. cap. 2 de Arabum in Africa & Asia officinis, pag. 8—16. (vid. Arabische Bibliothek von Froriep, pag. 312 sq. vel Acta Historico Ecclesiastica, ann. 1741. pag. 612.) Sed apertum est ex nomine viri, *Abdalla Ben Zacher*, male ad Halebum editionem referri. *Halebi* quidem *Abdalla* (de quo vid. Biblioth. Arab. V. pag. 30.) excogitavit præparavitque quibus opus esset ad excudenda arabica: locus vero, cui ortum debet editio Psalterii, non est nisi Monasterium S. Johannis Baptistæ in Kesrowân.

32. Psalmi arabice, impressi in Monasterio S. Johannis in monte Kesroan. 1735. 8.

Editio hæc certa est, extra omnem dubitationem sita. Præfationis extremo loco refert formulam hanc:

وقد تم طبع هذا السفر المقدس في دير القديس صامري يوحنا
الصابغ الملقب بالشوير الكاين في جبل كسروان سنة الف
وسبعماية وخمس وثلاثين لتنجسد الالهى

h. e. absoluta est impressio hujus libri sacri in Monasterio S. D. Johannis Baptistæ dicto Scho'weir sito in monte Kesrowân anno millesimo septingentesimo tricesimo quinto
incar-

incarnationis divinæ. — Sed de libro referendi locus erit, ubi ad tertiam editionem ann. 1753 pervenerimus, cujus penes nos est exemplum.

33. Psalmi arabice, impressi in Monasterio S. Johannis in monte Kesroan. 1739. 8.

Maschius, quæ de hac secunda editione refert, unde hauserit, non constat.

34. Matthæi Evangelium arabice. seorsum recudi curavit D. Jo. Henr. Callenberg Theol. & Phil. prof. ord. Halæ in typographia Instituti Judaici. 1741. 8. pagg. 166.

Præfatio scripta d. 28 Jan. 1741. docet, libros in Anglia editos (Num. 27. 28) iis potissimum ecclesiæ orientalis cœtibus destinatos fuisse, quibus arabica lingua vernacula esset, Callenbergium vero Muhammedanorum, maxime Indicorum, curam habuisse, quorum ingens multitudo licet arabice non loquatur, codices tamen intelligeret arabicos, modo sint singulæ voces omnibus suis vocalibus instructæ. Ea propter factum, ut textus arabicus repeteretur, qualis editus esset in Bibliis polyglottis Anglicanis.

35. Pauli Apostoli Epistola ad Romanos arabice. Seorsum recudi curavit D. Jo. Henr. Callenberg. ib. eod. pagg. 78.

36. Acta Apostolorum arabice. seorsum recudi curavit — Callenberg. ib. 1742. pagg. 192.

37. Epistola ad Hebræos Arabice. seorsum recudi curavit — Callenberg. ib. eod. pagg. 54.

38. Psalterium Coptico arabicum. 1744. 4.
Inscriptio paucis vocibus absolvitur, primo Copticis, deinde

F



Arabicis his: *کتاب نردور داون*. Præfationis seu cujuscunque significationis haud quidquam exstat. Inscriptionem excipit Psalmus primus. Singulis paginis Copticus sermo adjunctum sibi habet Arabicum. Versus singuli spatii quidem intervallo distincti, sed numerorum signis destituti. Extrema pagina, 502. coptice arabiceque proditus annus editionis; arabice dicta sunt hæc: "Absoluta est impressio hujus libri sancti die decimo septimo mensis Thammus, qui est mensis Abib, (*nobis Junius*) anno millesimo septingentesimo quadragesimo quarto incarnationis divinæ." Latini nihil admixtum, præter litteras singulas A B C &c. quibus chartæ signantur volumen compingenti.

Romæ typis Congregat. de P. F. prodiisse hanc editionem haud dubium. Venditatur alia ibidem facta ann. 1749. Catalogus 1765 editus inter libros Copticos pag. 16 refert "Psalterium Alexandrinum Copto-Arabicum 1748. in 4. Rubrum, & Nigrum." & repetunt ipsa hæc verba Catalogi ann. 1773. 1782. 1793. At parum credibile, repetitam esse editionem paucorum annorum intervallo: credibilis multo, annum 1749 in Catalogis negligentius positum esse pro 1744. etiam hanc ob causam, quod editionis haud dubiæ anni 1744. cujus exemplo nos utimur, mentionem nullus habet. Ipse quidem Didymus Taurinensis, h. e. Thomas Valperga, Abbas a Calusio, vir generis nobilitate non magis quam litterarum copia & ingenii humanitate conspicuus, in *Literaturæ Copticæ Rudimento*, Parmæ, 1783. 8. pag. 16 & pag. 33 commemorat typis S. C. de Prop. Fide editum Psalterium Alexandrinum Copto-Arabicum Romæ 1749 in 4. sed secutus forte auctoritatem Catalogi. Idem commemorat editionem primam Psalterii Coptici cum interpretatione latina Theodori Petræi, Lugd. Bat. 1963. 4. Sed hujus nonnisi specimen, psalmum primum coptice & arabice exhibens, exstare certum est. Vid. Masch

T. II. pag. 126 & 137. Editionem Romanam anni 1749. qui ex ipso usu cognitam habuerit nobis constat nemo.

Arabica versio est illius recensiois, quæ Melchitica dicitur Doederleinio, Eichhornii Repertor. IV. T. pag. 77. & conspirat quam maxime cum versione edita in monte Libano, in Monasterio Scho'weir: certe Psalmo 45. quem ex variis versionibus exhibuit Doederlein, loc. cit. pag. 86 sq. lectiones tantum non omnes Numeri 6 deprehenduntur quoque in hac Romana editione. Neque vero consensus tam constans, quin non modo in singulis vocibus, sed gravioribus etiam locis ab illa recedat: veluti Ps 13 (Hebr. 14.) post versum 3 ea quæ addunt LXX in codice Romano, absunt quidem a Psalterio, edito in Libano ann. 1753. sed exstant in editione Romana. Refert hæc passim, parcius ab initio, frequentius versus mediam partem, lectiones alias in margine positas, sed haud illas magni ponderis, veluti Ps. 76

- a vers. 3 Textus habet *التبست*, Margo (نخ ابثغين)
 b vers. eod. T. *فلم اطغ* M. (نخ ولم اضل)
 c vers. eod. T. *تعنري* M. (تتعنري)
 d vers. 4 T. *تلوت* M. (نخ هتتمت) mendose pro *اهتتمت*
 e vers. 6 T. *الاولي* M. (نخ الغديمة)
 f vers. 8 T. *يمس بعد* M. (يرضي ايضا)
 g vers. 9 T. *هل* M. (نخ او)
 h vers. 17 T. *الاصحاح* M. (نخ الاعصاف)
 i vers. 18 T. *نسبر* M. (نخ تعبر نافذة)
 k vers. 21 T. *كالغنم* M. (نخ مثل خراف)

Quæ marginis sunt lectiones, eadem maximam partem (exceptis a g h k) textus sunt in Psalterio anni 1753. — Quæ

autem sit arabicæ versionis cum coptica consensio, aliis videntum & judicandum relinquimus.

30. Biblia arabica, Romæ 1752. 4.

De hac editione quæ ab aliis dicta sunt optime refert cel. Rosenmüller, Handbuch, III. T. pag. 63 sq. Geminum præfixum est inscriptionis folium, alterum hoc:

العهد القديم والتحديث
الجزء الاول

Bibia Sacra in Lingua Arabica
Tomo I.

طبع سنة 1752 مسيحية بمطبعة مالاکا روتيلی

alterum mere arabicum, cujus aversa pagina, notata numero 2. mox incipit textus libri Geneseos. Absoluto Josuæ libro pag. 304. insertum est aliud inscriptionis folium, arabico-italicum, — — العهد Bibia Sacra in lingua arabica Tomo II. sed non relatum in numerorum seriem: proximo enim folio, pag. 305 sequitur initium libri Judicum. Cujus rei ratio videtur posita in eo, ut omissis ambobus foliis arabico-italicis exempla mere arabica haberent homines orientales. Arabica in trinis inscriptionis foliis sunt iisdem plane formis ex ligno factis expressa. Annus editionis proditus constanter 1752. non 1753. Volumen pagg. 688 complectitur præter libros Historicos, Jos. Jud. Ruth, IV Reg. II Paralipom. etiam Esr. I & II (seu Nehem) & Tobiaë librum Reliqui quantum constat non succedere. Quid causæ effecerit, ut in hac prima parte subsisteret opus, ignoratur. Vitam edenti defuisse non est quod opineris. Etenim qui editionem curavit Raphael Tuki, مرافیل الطوخی, Episcopus Arseniensis (Arsinoæ in Aegypto) edidit anno 1770 Doctrinam christianam arabice, ac ulterius anno 1778 Rudimenta linguæ Coptæ sive Aegyptiacæ ad usum Collegii Urba-

ni de Propaganda Fide. Romæ, typis ejusdem Congregationis. 4. quibus qui præfatus est hæc de ipso refert: "Auctor hujus Grammaticæ Institutionis est Præsul spectatissimus Raphael Tukius Episcopus Arsenovensis, qui Romæ degit, & per plures annos in Collegio Urbano Sacræ Congregationis de Propaganda Fide patriam linguam docuit, cuique etiã debemus Euchologii Alexandrini Copto-Arabici editionem, cujus partes sunt Missale ex Codicibus Vaticanis & Aegyptiacis (1746. 4.) Pontificale (1761. 4.) Rituale (1763. 4.) & Theotochiæ (1764. 4.) non ita pridem typis hisce nostris proditæ." Bibliorum arabicorum mentio hic facta nulla. — Typographus, cujus officinæ tribuitur opus, dicitur Malâc h. e. (non Malchus, sed) Angelus Rutili, estque idem cujus nomen cernitur in fronte Tomi I. operis inscripti: Bibliothecæ Apostolicæ Vaticanæ Codicum MSS. Catalogus — ubi verbis: Romæ MDCCLVI subjuncta sunt hæc: "Ex typographia linguarum orientalium Angeli Rotilii in ædibus Maximorum." Typi arabici, ad describendum opus adhibiti, sunt minus luculenti, & diversi ab iis, quibus adhuc uti solebat typographia Congreg. de P. F. Sed tamen venditur liber inter eos, qui Congregationis hujus typographiæ debentur. Etenim Catalogus editus anno 1773 inter arabicos libros offert pag. 12. "Vetus Testamentum arabicum 1752. in 4." addito signo †, quod absumta esse exempla significat. Sed in Novo Catalogo anni 1782. ex quo exsulant omnia signo † ante notata, recurrit tamen pag. 6. iisdem verbis: Vetus Testamentum arabicum 1752. in 4.

40. Psalmi arabice, impressi in Monasterio S. Johannis in monte Kesroan. 1753. 8. editio tertia.

Inscriptio libri mere arabici hæc: Liber Psalterii divini Davidis prophetæ, suntque psalmi ejus numero 150 distributi juxta ordinem Patrum Sanctorum Orientalium in septem Matutina, quæ destinata sunt pro septem matutinis Officiis septi-

manæ, & comprehendunt viginti καθίσματα humiliatoria. Matutina excipiunt decem Cantica prophetica, quæ statuit Ecclesia canenda post Psalmos. Edita hæc nunc juxta dictum ordinem.

Præfationem 12 pagg. excipiunt Psalmi CL pag. 14—338. adjunctis Canticis X pag. 399—366. Accedit, qua prima editio caret, plagula 24. paginis numero haud distinctis, quæ Catechismum quasi exhibet seu summa religionis christianæ capita, utpote Præcepta Dei X. Præcepta Ecclesiastica VII. Consilia Evangelica III. Sacramenta Ecclesiæ VII. Virtutes Cardinales IV. Virtutes theolog. III. Virtutes Morales X. Dona Spiritus Sancti VII. rel.

De Græcorum ratione distribuendi Psalmos in καθίσματα consulendus Cardinalis Joannes Bona, in Tractatu de divina Psalmodia, inter ejus Opera. Antwerp. 1739. fol. cap XVIII. §. 13. pag. 563. vel Leo Allatius, cujus de libris ecclesiasticis Græcorum dissertationes iterum edidit, & Bibliothecæ suæ Græcæ Tomo V adjunxit Jo. Alb. Fabricius; pag. 45 etiam decem illa Cantica quænam sint significatum.

Ex Præfatione visum est hæc referre:

pag. 9. "Excusus nunc est denuo hic liber, ut facilis sit comparatio ejus omnibus, nec quispiam, si negligat natos in legendo instituere, excusare se possit perhibendo, deesse sibi potestatem. Scito etiam, cum textum Psalterii arabicum, qualis primitus erat, invaserint per ignorantiam describentium quædam alterationes in sententiis, quarum sensum non illi assequerentur, & mutationes vocabulorum, quorum significationem non intelligerent, ea propter impressum esse hunc librum juxta textum, qui collatus quam diligentissimè cum fonte græco, & constitutus est juxta lectionem & intelligentiam Patrum Sanctorum (pag. 10.) & doctorum commentatorum verissime, opera virorum bene peritorum utriusque linguæ. & græcæ ex qua translatio ducta, & arabicæ in quam facta

conversio. Quare si deprehenderis quæ nunc alia sint quam antehac, noli putare hallucinationem esse & depravationem, ut fraudem tibi facias & damnum, sed persuasum tibi habe, esse ipsam veritatem juxta fontem græcum, ut utaris & fruaris.

Scito quoque hoc. Cum Psalterium hoc divinum adhibeant Fideles, ut doceant natos legere arabice; non libuit tollere de verbis infirmis, si sint in statu Dschezmato & non habeant pronomina affixa, litteras quæ in illis reperiuntur infirmas. Sed servavimus hasce litteras in statu prædicto, ut mos est scribentium, qui non cognitum habent (pag. 11.) rectum usum sermonis arabici. Idque a nobis factum idcirco, ut ne difficilis esset lectio horum verborum pueris discentibus, immo etiam aliis, qui nesciunt recte efferre hæc verba, si sublatae sint illæ litteræ a doctoribus; & ob eam maxime causam, quod servatae hæc litteræ in statu dschezmato revera audiuntur in pronuntiatione arabica. Noli igitur tribuere illud ignorantiae turpi, sed certus sis adcommodantes nos respexisse defectum intelligentiæ in illis, qui non bene legere noverunt ejusmodi voces, si sint scriptæ una tantum littera vel duabus."

(Verbi causa, Ps. 5, 3 editum *وأصغي*, pro *وأصغ*. Ps. 7,

ولم ينس pro *ينسي*. Ps. 9, 12. *ليغن* pro *ليغني*. 10.

ولم ار pro *ولم اري*. Ps. 37, 25.)

Præfationis tandem extremo loco dicta sunt hæc:

وقد تم طبع هذا السفر المقدس طبعاً ثالثاً في ربيع القديس ماري
يوحنا الصايغ الملقب بالشوهر الكاين في جبل كسروان . بعمل
الرهبان القانونييين من طايغة الروم الملكية . سنة الف وسبعماية
وثلاث وخمسين لتنجسد الالهى .

h. e. absoluta est impressio hujus libri sacri *tertia vice* in mo-

nasterio S. D. Johannis Baptistæ, dicto Scho'weir, sito in monte Kesrowân, opera monachorum regularium græcorum Melkitarum, anno 1753 incarnationis divinæ.

Minus bene hæc reddita sunt a Doederleinio, Repertorium für Biblische und Morgenländ. Litteratur, II. Th. 1778. pag. 178.

41. Epistolæ Apostolicæ. in Monasterio S. Johannis in Kesrowân. 1758. 4. pagg. 403.

Leo Allatius, de libris Ecclesiasticis Græcorum, edit. Fabricianæ pag. 35. "Liber (Αποστολος, aliis προξαποστολος) ex Actibus Apostolorum, Epistolis Pauli, & Canonicis, nec non Apocalypsi compositus est. Textus in plures partes divisus, & diebus singulis, & festis diebus accommodatus, ita ut completo libro, ea quoque omnia terminentur, nihilque in iis sit, quod in libro non habeatur, & quandoque etiam bis & ter, ut sese tulerit occasio, repetitum."

Inscriptio prima: *الابركسيس وي الاعمال المختصة
بالرسل القديسين المنسوب الي القديس لوقا الانجيلي
يقرا في ايام الخمسين*

h. e. Πραξεις, seu Acta Apostolorum Sanctorum, tradita à S. Luca Evangelista, ut leguntur à festo Paschatis ad festum Pentecostes.

Alterà hæc: *كتاب الرسايل المشتمل على اعمال الرسل
القديسين ورسايل بولس الرسول ويعقوب وپطرس يوحنا
ويهونا كنايسيا يقرا في القديس الالهى يوما فيوما حسبما
رتبه الابا القديسون في الكنايس الشرقية*

Liber Epistolarum, complectens Actus Apostolorum SS. & Epistolas Pauli Apostoli, Jacobi, Petri, Johannis & Judæ, ut per-



per ecclesias legitur in Missa divina de die in diem juxta ordinationem Patrum Sanctorum in ecclesiis orientalibus.

Ex Præfatione juvat cognoscere quæ sequuntur:

Tertio omisimus ex hac editione Explicationem, quæ exstat in Epistolarum arabicis, ut esset ritus in omnibus græcis ecclesiis idem: illa enim Explicatio non solet legi nisi passim apud Christianos arabicos tantum, in græcis autem Epistolarum primitus non habet locum.

Deinde scito, cum textum Epistolarum arabicum temporis multi progressu invaserint per ignorantiam describentium inde a pluribus annis quædam alterationes in sententiis, quas cum sensum illi non assequerentur converterunt in errorem, & mutationes vocabulorum, quæ cum non intelligerent depravarunt mutandis litteris vocalibusque, visum nobis esse conveniens, editioni intentis, ut conferretur cum fonte græco quam diligentissime, & constitueretur juxta lectionem & intelligentiam Patrum sanctorum commentatorum quam verissime. Igitur collegimus græca exempla haud pauca & deprehendimus eâ discrepare quidem inter se verbis specie, nulla tamen discrepantia in sensu re ipsa. Et servavimus quod fundamentum habere aut in exemplis aliquot græcis, aut apud quosdam Patres commentatores, etiamsi non exstaret in omnibus, quod dandum aliquid esset arabico textui, qui longo usu familiaris factus est auribus hominum & linguis: & sustulimus quod non deprehendimus fundamentum habere in duobus locis, nec ita comparatum, ut nequeat abesse salvo sensu, ne adderemus divinis his oraculis, quod esset ab illis alienum, illisque indignum. Simul hoc quoque curæ erat, ut essent omnia adstricta ad fundamenta sermonis arabici atque ad legitimum dicendi genus, nec quidquam locum haberet nisi ut par esset tum in singulis tum in universis. Idque factum est opera virorum intelligentium, quorum cognita esset utriusque linguæ peritia. —

G

“Consilium autem captum fuit excudendi libri jussu Superiorum in Monasterio S. D. Johannis Baptistæ dicto Scho-weir in monte Kesrowân opera Monachorum Regularium Basilianorum Græcorum Melkitarum anno 1756 Christi” —

Postremo loco hæc: “Et absoluta est impressio Epistolarum sanctarum ineunte anno 1758 Incarnationis divinæ.”

42. Psalmi arabice. in monasterio S. Johannis in monte Kesroan. 1764. 8.

Tertîæ in omnibus respondet hæc quarta editio, in præfationis extremo loco referens

وقد تم طبع هذا السفر المقدس طبعاً رابعاً بدير — —

Arabica hæc perperam vertit, qui Maschio impertitus est quæ ipse tradidit: “In Monasterio St. Johannis Baptistæ Aischoir Alcain in monte Cháswan, opera & industria Monachorum Canonicorum S. Basilii, Congregationis vel ordinis Romani.” — Pro *Alcain* dicendum erat: quod situm est. الكاين est particip. verbi كان.

43. Psalmi arabice. ibid. 1770.

Vid. J. G. C. Adlers Uebersicht seiner Reise nach Rom. 1783. pag. 135.

44. Evangelia arabice. in monasterio S. Johannis in monte Kesrowan. 1776. fol. pagg. 315.

Inscriptio hæc: كتاب الانجيل الشريف الطاهر والمصباح
المنير الزاهر منقسيا كنايسيا — —

h. e. Liber Evangelii nobilis, puri, Lucernæ illuminantis, splendentis, distributus ecclesiastice pro ambitu anni secundum ordinationem Patrum Sanctorum Orientalium, Adstrictus ad linguam græcam, conformis recensionis arabicæ (usitatae),

nullius quæ ad hanc ipsam pertineret rei mutatione facta nisi quod omissa a nobis est Explicatio alias poni solita in recensione hac arabica, ad imitationem Originalis græci, quod non habet illum commentarium, prout declaravimus in præfatione ad Epistolas.

Sequitur Proœmium, inscriptum: de dignitate Evangelii sancti ejusque præstantia præ omnibus Scriptis prophetarum Sanctorum. Extremo ejus loco exstant hæc: Consilium autem captum est de excudendo hoc libro jussu Superiorum Ecclesiasticorum in Monasterio S. D. Johannis Baptistæ dicto Scho'weir in monte Kesrowân opera Monachorum Regularium Basilianorum Græcorum Melkitarum anno Christi 1776.

Ordinem, quem Græci sequuntur in legendis publice Evangeliiis, exposuit Allatius, loc. cit. pag. 25.

45. Psalmi arabice. in monasterio S. Johannis in monte Kesrowân. 1789. 8. editio sexta.

Certa est hæc editio, referens — — وقد تم طبع هذا السفر
 طبعًا سادسًا Recentior alia num prodierit, haud constat.

46. Specimen ineditæ versionis Arabico-Samaritanæ Pentateuchi e codice MSto bibliothecæ Barberinæ edidit animadversiones adjecit Andreas Christianus Hwiid Hauniensis. Romæ 1780. 8.

Copiose de hoc libro relatam est in J. D. Michaelis Orient. und Exeget. Bibliothek, XVI. T. pag. 76—106.

47. Commentatio critica exhibens e bibliotheca Oxoniensi Bodlejana specimina versionum pentateuchi septem Arabicarum, nondum editarum, cum observationibus. Edidit Henr. Eberh. Gottl. Paulus, AA. M. philos. D. & lingg. orient. prof. publ. ordinar. Jenæ. 1799. 8. pagg. 80.

Conf. Eichhorns Allgemeine Bibliothek, 2. Tom. 4. P.
pag. 633 — 654.

48. R. Saadizæ Phijvmentis Versio Jesaiæ arabica cum aliis speciminibus arabico-biblicis e mso Bodleiano nunc primus edidit atque ad modum Chrestomathiæ arabicæ biblicæ glossario perpetuo instruxit Henr. Eberh. Gottl. *Paulus*, lingg. orient. prof. publ. ordin. Fasciculus I. Jenæ 1790. Fasc. II. 1791. 8.

Editione hac qui uti velit, non sine fructu adhibebit quæ suppeditat Allgemeine Bibliothek — von Eichhorn. III. T. pag. 9—55 & 455—485.

49. Psalmi cum commentario, arabice. Viennæ 1792. fol. pagg. 483. Editio mere arabica.

In fronte libri posita est 1. inscriptio arabica: Commentarius in Psalmos, auctore Anthimo, Patriarcha Hierosolymæ totiusque Palæstinæ. 2. Sententia lat. & arab. de salubritate operis scripta a Bernhardo de Jenisch (جنيش) Viennæ 14. Nov. 1791. In calce exstant hæc: Absoluta est impressio libri die 28 mensis Junii 1792 in urbe Vienna (ليانس), estque recens hæc editio facta in typographia Josephi Kurzboek (كوزبوك) expensis Dom. Dom. Anthimi Patriarchæ Hierosolymitani; curam edendi ac emendandi gessit Parthenius Constantinus, Halebensis, servus humilis inter Hieromonachos.

Præmissa sunt hæc: 1. Auctoris, Anthimi, præfatio, qua significat, se Archiepiscopum Scythopolitanum cepisse consilium adornandi ex Patrum SS. scriptis Commentarium in Psalmos, juvandis filiis suis spiritualibus, Arabibus christianis, Palæstinensibus, quod intelligendis psalmis, nisi accedat institutio arabice scripta, pares illi haud sint, quapropter publicis in sacris dum prælegantur, audientium alii dor-

mitent, alii tædium patiantur, alii torpeant, — Arabica se retulisse ad versionem græcam a LXX factam; non doctrinæ ostentandæ studio sed christiano amore unice ductum se suscepisse opus, illudque absolvisse anno Chr. 1787 Hierosolymis in cœnobio patriarchali. 2. Auctoris ad Parthenium suum litteræ, quibus rogat hunc, velit, quod ipse arabici sermonis subtilitatem ac elegantiam minus familiarem sibi habeat, & ob muneris curas otio non abundet, perlustrare opus & omni studio reddere emendatius. 3. Parthenii responsio, qua præmissa laudatione copiosa hæc fatur: Profitetur Parthenius Constantinus presbyter monachus cœtus orthodoxi, quum Pater Beatissimus evectus in sedem Patriarchalem ob negotiorum copiam non vacare possit resumendo operi suo, mihi illud commisit; primo quidem reverentia teritum me sensi, at accedente paterna ejusdem benedictione tamen in me recepi mandatum; sciat autem lecturus, nequam sermonis ornatum, sed hoc unice propositum fuisse, ut sensus verus & salutaris planus esset atque obvius universis. 4. Prologus Athanasii M. 5. Nonnulla ex præfatione Anonymi & Eusebii Cæsarensis.

His præmissis incipit pag. 1 Psalterium ipsum, hac ratione dispositum, ut singulis versibus seorsim positus ac rubro colore distinctis interjecta sit expositio modo amplior, modo brevior. Veluti Ps. I, 1. copiose dicitur de beatitate: at Ps. II, versus 7. paucis his absolvitur: Sensus: Pater dixit mihi, tu es Filius meus æternus, at juxta incarnationem tuam factus es filius in tempore cum nascereris ex virgine, nascendo corporaliter. Aut vox *hodie* significat *perenniter*, quod qui est nulla non die, de eo dicitur hodie.

Conf. quæ de libro retulit b. Alter, in Memorabilien — von Paulus. P. V. 1793. pag. 197 sq. Quem Parthenius dixit *Abū'ul Fazil*, & Alter ignorare se professus est, auctor versionis Psalmorum arabicæ, etiam in Viennensi hac editione

redditæ, videtur non alius esse, quam qui *Abdalla Ben AlPhadi* dicitur Assemanio, Catalog. Biblioth. Medic. pag. 37. (verba ejus vid. supra pag. 36. num. 26.)

50. Specimen philologicum, continens descriptionem codicis MS. bibliothecæ Lugduno-Batavæ, partemque inde excerptam versionis Samaritano-Arabicæ pentateuchi Mosaici, quod præses. Sebaldo Fulcone Joh. *Ravio* publice defendit Guilielmus *van Vloten* auctor. Lugduni Batavorum. 1803. 4 maj. pagg. 87.

Dissertationis IV. sunt capita, I. de versione Samaritano-Arabica, II. de codice ms. versionis, qui servatur in bibliotheca publica Academiæ Lugduno-Batavæ. III. excerpta quædam capita Pentateuchi, Exod. 3, 1—22. cap 4, 1—31. Levit. 11, 4—31. Numer. 21, 1—35. Devt. 28, 1—69. IV. Annotationes in loca nonnulla. — Conjunctionem illa habet cum commentatione præstantissima illustr. A J. Silvestre de Sacy, de versione Samaritano-Arabica e duobus codicibus Parisiensibus, in Eichhorn's Allgem. Biblioth. X. B. 1 St. cujus quum tandem prodierit nova eaque amplior editio in Mémoires de l'Académie des Inscriptions, Tom. XLIX. sane rem ita habebimus peractam, ut non sit futurus, qui in ea quidpiam possit desiderare.

Biennio fere abhinc in Anglia captum & publicis litteris vulgatum est consilium de paranda Bibliorum vet. & novi Test. editione mere arabica, hoc potissimum fine, ut permulta exempla gratis distribuantur in terris exteris, cum maxime in Africa interiori, inter homines arabici sermonis haud ignaros. Qui consilium hoc commendavit civibus suis, felici cum successu, & editionis curam in se recipit, ratus. præstantiorem scripturæ sacræ versionem arabicam adhiberi non posse

ea, quæ sit edita in Bibliis Polyglottis Londinensibus, erat *J. D. Carlyle*, litterarum arabic. prof. Cantabrigiensis, redux brevi antea factus ex itinere orientali, unde multa & litterarum & artis monumenta reportavit. Mortuus est Carlyle 12 Apr. 1804. natus annos 45. at non intermissum est illud consilium. Prospere autem accidit, ut editionis curam in se reciperet *D. Henricus Ford*, Oxoniensis litter. arab. professor, quo sane peritiorem & aptiorem Anglia nunc habet neminem. Et ipse statuit, exhibere versionem in Bibliis polyglottis editam, sed emendatiorem tamen & perfectiorem. Paratur opus Oxonii in typographia Clarendoniana, confectis typorum formulis novis iisque præstantibus.

Propositiones Respondentium.

1. Libri Hiob auctor dici potest Moses.
2. Certe liber non est posterior ævo Mosaico.
3. Quæ a Mose nomen habent leges, non habent ipsum auctorem.
4. Lingua humana non est inventum humanum.
5. Haud multum exculti erant Aegyptii.
5. Ebræorum de Deo cognitio fuit recta.
7. A Persis & Chaldæis Judæi in exilium acti tum ritus multos, tum præcepta dogmatica haud pauca sumserunt.
8. Judæos notiones suas ad religionem spectantes miscuisse cum doctrina Zoroastrica, haud vere perhibetur.
9. Locus Josuæ XVIII. 8. 9. docet, Ebræis jam tum cognititas fuisse tabulas geographicas.
10. Dramaticæ artis ne periculum quidem ullum fecisse videntur Ebræi.
11. Quæ in libris Vet. Test. historice explicari possunt, non sunt tanquam vaticina referenda ad Christum.
12. Scriptores Novi Test. dicta Veteris a se citata non omnia bene sunt interpretati.









D: De 50

sb

ULB Halle

3/1

000 867 101



